Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

# Dissertatio Critico-Philologica De Stili Historici Librorvm V. T. Virtvtibvs Et Vitiis Occasione Chronicorvm Ad Methodvm Historiae Sacrae Effictorvm

Kiliae: Bartschius, 1746

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0001
DFG

Fc – 1606.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0002
DFG

DISSERTATIO CRITICO-PHILOLOGICA

DE

# STILI HISTORICI LIBRORVM

VI

# VIRTVTIBVS ET VITIIS

PRAEMISSIONE CHRONICORVM

AT METHODVM HISTORIAE SACRAE

EFFICTORVM

QVAM

SVB AVSPICIIS DIVINIS

CONSENSVM ET AVCTORITATEM CAROLINAE

DE ALMA CAROLINA MARTINA

AD PVBLICAM DISPVTATIONEM

PRO

M. IOAN. HENR. MANTZEL

ROSTOCHIENSIS

ET

RESPONDENS

MICHAEL Mortensen

APENRADA-ELESVS

S. S. TYPOL. ET PHILOLOG. CVLTOR.

AD DIEM XXVII APRILIS A. O. S. MDCCXLVI.

ALTAE

LITERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn824075404/phys_0003
DFG

*DISSERTATIO CRITICO-PHILOLOGICA*

DE

# STILI HISTORICI LIBRORVM V. T. VIRTVTIBVS ET VITIIS

OCCASIONE CHRONICORVM

AD METHODVM HISTORIAE SACRAE

EFFICTORVM

---

QVAM

SVB AVSPICIIS DIVINIS

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN ALMA CHRISTIAN-ALBERTINA

AD PVBLICVM EXAMEN DEFERVNT

PRAESES

**M. IOAN. HENR. MANTZEL**

ROSTOCHIENSIS

ET

RESPONDENS

**MICHAEL Martensen**

APENRADA-SLESVIC.

S. S. THEOL. ET PHILOLOG. CVLTOR.

---

*AD DIEM XXVII. APRILIS A. O. R. MDCCXLVI.*

---

KILIAE

LITERIS GOTTFR. BARTSCHII, ACAD. TYPOGR.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0005

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0006
DFG

SERENISSIMAE PRINCIPI
AC
DOMINAE,
DN. AVGVSTAE,
DVCI MECKLENBVRGICAE, PRINCIPI
VANDALIAE, SVERINI ET RATZEBVRGI, COMITI
ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII
ET STARGARDIAE DOMINAE,
DOMINAE MEAE LONGE
CLEMENTISSIMAE,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0007
DFG

# SERENISSIMA PRINCEPS!
## DOMINA LONGE CLEMENTISSIMA!

Viam, ad *Vestram Serenitatem*, quam V. S. submississimus olim seruus, Auus meus, creberrime ambulauit: Viam, quam Pater meus, humillime dedicando disputationem academicam, ante annos, ad *Vestram Serenitatem* iuit: Eandem et ego eligendam esse deuotissime censui. Principum ea est, quae Dei clementia, quod familiis Deo inseruientibus ad vltimos atnepotes clementissime faueant. Consecraui igitur *Vestrae Serenitati*, inclytissimæ veritatum diuinarum prote-

protectrici, meam qualemcunque, aduersus impia et Sacrae Scripturae infensissima ingenia directam dissertationem, spe certissima excitatus, fore, vt *Vestra Serenitas* pium meum institutum clementissime probet. Omnia sunt vana praeter amare Deum, et idem ille Deus conculcari pedibus piorum sinat diabolum. Crescit seculi, quod viuimus, malitia, et, si per iustitiam diuinam liceret, seducerentur etiam electi et regeniti. Ego, qui a teneris vnguiculis meis mundum et machinationes malorum despexi, id precibus a summo Patre impetraui, vt me impleuerit odio artificiorum Deo insultantium. Pietas ante omnia vtilis est, et habet promissionem huius et futurae vitae aeternae. In hac fide perseuerabo et, quantum per meam tenuitatem licet, malis obuiam ibo. Malos autem omnes, etiamsi alias eruditissimos, appello, qvi vel de Deo peruerse docent, vel de eo magnifice quidem scribunt, laudem autem studiorum et artis disputatoriae quaerunt; fructibus vero practicis dicta non probant, sed eadem destruunt.

Non

Non displiceat igitur, rogo, obsecro humillime, *Vestrae Serenitati*, Principi sapientissimae et eruditissimae, meum tenue conamen. Detur clementissima venia huic dedicationi submississimae: Profecta est illa ex venerabunda mente. Deus autem T. O. M. augeat *Vestrae Serenitatis* annos ad sera vsque tempora, in totî submissorum et Deo devotorum cordium protectionem atqve solatium. Ego satis habebo, si mihi licuerit vti nomine mihi exoptatissimo

VESTRAE SERENITATIS

suppl. Kiliae Holsatorum
d. XXII. Aprilis Anno MDCCXLVI.

humillimi servi
IOAN. HENR. MANTZEL

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0010
DFG

# CONSPECTVS.


§. I. *Instituti ratio et ordo.*

§. II. *Historia literaria Chronicorum politicorum, ad methodum historiae sacrae adornatorum.*

§. III. *Fata horum libellorum, et varia variorum de iis iudicia.*

§. IV. *Digressio, expendens quaestionem: vtrum hoc institutum pro praeclaro ingenii monumento habendum sit, nec ne?*

§. V. *De stilo Iudaico vulgari, quem autor in fronte Chronicorum mentitur. Quo praetextu remoto, sacrilegii et profanationis verbi diuini reus sistitur.*

§. VI. *Examinatur hoc peccatum vlterius, ventilata quaestione: num si hodie adhuc peccato in Spiritum S. locus detur, illud in eiusmodi deprauatione Scripturae S. consistat?*

§. VII. *Recensentur hostes literaturae et stili Hebraeorum historici, qui antehac contemtim de eo senserunt.*

§. VIII. *His opponuntur vindices, qui historias sacras magni fecerunt, earumque stilum ab omni ruditatis et barbarismi labe liberarunt.*

§. IX. *Thetice asseritur librorum historicorum concinnitas, primum a priori, excussa quaestione: vtrum historicis V. T. recensionibus Maiestas quaedam competat?*

§. X. *Illustratur a posteriori egregiis exemplis, affectuum animi et characterum personarum genuina expressione: item orationibus et descriptionibus, ceu ideis partialibus perfectionis historiarum totalis.*

§. XI. *Disquiritur: num dicta et responsiones hominum in libris histo-*

*historicis relata, eadem ipsa verba, aut loco eorum, ex ingenio scriptoris substituta alia, referant.*

§. XII. *Art. VIII. recensentur, qui includunt totidem vitia, quae Chronicorum scriptor sua imitatione in libros historicos transferre voluit.*

§. XIII. *Generatim his opponun-IV. observationes. Primo intentio sacrorum historiographorum.*

§. XIV. *Secundo antiquitas horum librorum, et ostenditur, quomodo stilus iste ad naturalem methodum proxime accedat.*

§. XV. *Tertio climatis ratio Asiatica, ex quo vbertas stili defenditur. Cui iungitur quarto loco simplicitas, quae loquutiones abs omni fuco remotas progignit.*

§. XVI. *Specialiora vitia §. XII. memorata examinantur. Seorsim de repetitione vnius vocis, phraseos et formulae crebra et molesta.*

§. XVII. *Vindicantur formulae peculiares et apparenter vulgares, praesertim 1 Reg. IV, 29. 1 Sam. XXV, 34.*

§. XVIII. *Expenduntur duae quaestiones hac occasione: Altera, num liceat interpreti loquutiones historicas superfluas et abundantes rescindere: Altera, phrases quibus nihil salis inesse videtur ad nostrum genium immutare?*

§. XIX. *Vindicat nimis profasam rerum inutilium et intellectu per se facilium narrationem.*

§. XX. *An versiones et speciatim Lutheri ad inconcinnitatem apparentem stili LL. Hist. contulerint?*

§. XXI. *Hoc momentum vlterius persequitur.*

§. XXII. *De phrasibus historiae S. hyperbolicis, et frequente Dei mentione.*

DE

# DE STILO LIBRORVM VETERIS TESTAMENTI HISTORICO

## *COMMENTATIO ACADEMICA.*

§. I.

Conſpectus, quem ea mente praemiſimus, vt aequum rerum arbitrum de inſtituto noſtro condoceat, non ſufficit, iis omnibus remouendis, quae lectorem in limine remorari poterunt, quo minus huic opellae iuſtum ſuum pretium ſtatuat: adeo vt hae vindiciae Stili hiſtorici V. T. nouis vindiciis egant. Primum dubium obuenit circa modum, quo in praeſenti vtimur, ad coercendum empaectarum conatum, qui rerum ſublimitatem ad normam phraſeologiae ſacrae ſimplicis metiuntur. Cum hi enim vulgum potiſſimum imperitum nouitatisque ſtudioſum eo inducant, vt abiecte et contemtim de rebus et originibus ſacris ſentiant; illorum in gratiam vernaculum nobis dicendi genus, prae reliquis eligendum fuiſſe, quidam exiſtiment, ad praemuniendum rudiorum animos contra diaboli verſipellis machinationes. Sed hoc iis relinquimus, qui pro ea qua pollent in eccleſia auctoritate, et officii ex ratione hoc exſequi debent. Nobis in cathedra academica verſantibus ſufficit, ſi, quae ab eru-

ditis de ſtilo ſingulari hiſt. V. T. hinc inde diſputata ſunt, commemoremus, ea quae critices ſtudium ſibi vendicat ad doctorum areopagum deferentes. Multis quidem hac ratione actum agere videbimur, cum omnis interpretum fere labor, qui per tot ſecula ingentem in molem excreuit, ſtilo Scripturae S. eiusque conſiderationi inhaereat, nullaque dictio ſuperſit, quae non vel centum commentatores experta ſit. Sed & hoc noſtro ſcopo non obfuit. Interpretes fatemur ſat multi, circa abſtruſa S. S. occupati fuere, aſt eatenus, quatenus res difficiliores duriuſculis corticibus occluſas complectitur. Maxime ſtilus propheticus veritatum coeleſtium ſcrutatores excercuit, de hiſtorico parum ſollicitos, vtpote qui ſi cum debita reuerentia expenditur, iucunditatis et facilitatis plurimum continet. Nemo tam nefario auſu in hunc vsque diem ſermonem iſtum ſuggillauit, quid igitur mirum, nouis inſultibus, qui aciem Iſraelis ſacram probro afficiunt, noua obiicienda eſſe fidei propugnacula? Tertio denique loco tituli inſcriptio nos perquam ſollicitos habuit. Nam ſingularis illa dictio hiſtorica, quae illuſioni anſam praebuit, tam varia ſub ſpecie oppugnari poteſt, vt vitium, quod ei ſubeſſe putatur, vix vno vocabulo comprehendi queat. Siue igitur profuſum, ſiue archaeologicum, vulgare, tautologicum, pleonaſticum hoc ſcribendi genus dicas, nobis perinde erit. Cum enim vna vel altera harum denominationum omne punctum non ferat, prorſus ab iis abſtinere maluimus. Incidit forte in manus SCIOPPII Tractatus *de Stili hiſtorici virtutibus et vitiis*, quam ceu receptam, et vſu quodammodo tritam inſcriptionem diſſertationi praefigi curauimus, certi, neminem ſibi perſuaſurum, de veris ſacrarum hiſtoriarum vitiis nobis rem fore. Sequens potius tractatio ſiſtet auctorem Chronicorum prauae intentionis conuictum, ſtilum hiſtoricum a naeuis vindicatum, et iucunditati ſuae atque nitori reſtitutum.

§. II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0014
DFG

## §. II.

Fata et historia literaria istorum Chronicorum, de quibus agimus, e plagulis haurienda, in quas acta eruditorum vulgo referri solent. Tanti hoc negotium in ecclesia aestimatum fuit, vt auctores ACT. HIST. ECCLES. suarum partium esse duxerint, libelli famosi historiam ex instituto tradere. (1) E quibus pauca, quae huc spectant, in vsum nostrum vertemus. Gloria, si quae est eiusmodi inuentorum, relinquenda est ingenio cuidam vago, et luxurianti, quod Anglia, fertilis in eo genere tellus, produxit. Tentamen etenim primum prodiit anno MDCCXLIII. sermone Anglico, quod patet ex sequuta mox translatione Gallica, quae ita primigenium exemplar expressit: *Chronique des Rois d'Angleterre écrite en Anglois selon le Stile des anciens historiens Juifs, par Nathan ben Saddi, Prêtre de la même nation et traduite en François dans le meme Stile, chez Th. Cooper au globe, dans Pater-Noster Row.* in 8. constans decem plagulis, cuius integrum titulum hic apponimus, propter differentiam quae hanc inter et Germanicam versionem in rubro intercedit. Cum enim pro rei nouitate omnium fere cum applausu exciperentur, in linguam vernaculam expressa sunt, quorum ex secunda editione titulus ita se habet: *Die Bücher der Chronick derer Könige in Engeland, beschrieben in der Sprache des Jüdischen Volcks, durch Nathan ben Saddi, Priester des Volcks Gottes und bestellten Land-Rabiner, nach dem Original verdolmetschet, und fortgeführet bis auf den heutigen Tag.* in 8. De cuius ad prototypum secundum artis regulas expressione, sententiae dissident, ab aliis culpata, ab aliis laudata. (2). His postea additamentum quoddam accessit XL. §§. inclusum, in lucem primum



(1) Parte L. p. 298--320.

(2) Vide differentias elogiorum in den freyen Urtheilen und Nachrichten an. 1744 p. 57. & Gœttingsche Zeitungen 1743 p. 634. Act. Hist. Eccl. l. c p. 300.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0015
DFG

mum emissum Anglice in fol. MDCCXLIV. Dein Germanico idiomate: *Chronika der Königin zu Ungarn und von der Schlacht bei Dettingen, aus dem Original verdolmetschet durch Nathan Gans, wohnhafft im Vog. Isang zu Franckfurt, welcher ist ein Vorsinger der Juden-Schul daselbst.* Omnes hos conatus ingenii et artis ψευδωνυμου superauit tandem tertium specimen, bellum Reginae Hungariae cum Rege Galliae explicans: *Die Bücher der Chronika von den Kriegen, welche die Frantzosen mit Theresia der Königin von Ungarn geführet haben, durch Jekoff ben Saddi, bestellter Land-Rabbiner im Baier-Land auch Oberbarnassa in München, Prag* MDCCXLIV. in 8. Cuius contextus dissimilem prorsus cum prioribus autorem satis arguit. Quosuis enim Scripturae S. libros, procul habita omni reuerentia, peruagatur, et dictiones mysteriis pariter ac prophetiis consecratas, ad suum accommodat scopum; Cum prior se tantummodo intra limites stili historici librorum Regum et Chronicorum continuerit. Abs eodem forte autore consarcinatum est quartum Chronicorum scriptum, in fine eiusdem anni publici iuris factum, transitum potissimum Ducis Lotharingiae per fluvium Rhenum ita exhibens: *Die Bücher der Chronicka Carl des Herzogs zu Lotharingen von Kemuel Saddi, Hoffjuden zu Manheim* in 8. Priores duae Sectiones Angliae originem debent: posteriores in Germania confectae sunt, et ex vno eodemque ingenio, prelo, et Saxoniae inferioris loco quodam prodiere, quare et iis potissimum immorabimur, eas prout ordine se excipiunt per numeros I. II. III. IV. designaturi. Nam his auide direptis nostrae regiones farragine eiusmodi scriptorum obrutae sunt, quae vix in ordinem redigi possunt. Ea tantummodo, quae nos circumiacent, indicabimus: *Chronicka Friderichs des Königes der Preussen, von den Kriegen die er geführet hat in den Landen Schlesien, Mähren und Böhmen* MDCCXLIV. Item *Chronick der Könige von Engeland drittes Buch, in welchem beschrieben die Geschichte unser Zeiten bis*

*auf*

*auf die Wallfahrt des Feld-Hauptmanns Bellisle nach dem Flecken Elbingeroda, und seine Reise über das Meer*, MDCCXLV. cum tabula aeri incisa. Porro: *Das andere Buch von den Kriegen der Franzosen von Salomon Saddi* MDCCXLV. Etiam in scenam prodire iussae sunt res gestae *Johann Adolphs, obersten Feld-Hauptmanns des Königs Augusti des Dritten, durch Gehasi den Saddi, Seckel-Juden in München*, eodem anno in chartae forma octipertita prout superiores typis excusae. Non attinet, Pseudo-Iudaeos nominatim in titulis expressos, certis characteribus discernere. E re potius nostra foret, laruam eis detrahere, ac genuinum qui sub his nominibus personatis latet autorem detegere; Sed praeter vagos rumores nil certi de hoc negotio constat, quia iste compilator, stimulis laesae conscientiae forte agitatus, in tenebris versatur. Neque nos in retegenda aliorem nuditate ingenioſi et sagaces videri volumus, alias non deessent coniecturae grauium virorum indicio ad nos delatæ. Sunt qui famosum SVIFFTIVM inter Satyricos facile principem, qui haud ita pridem fatis concessit, et ad Dei tribunal evocatus est, pro autore iactitarunt. Alii comitem de CHESTERFIELD nominant, (3) quamuis non dubitemus ignobilioris sortis homini cuidam ea adscribere.

## §. III.

Varia huic librorum generi contigit sors, dum pro diuersitate locorum et ingeniorum mox benigniora mox acerbiora expertum est iudicia. Quorum in recensione maxime distinguenda veniunt, tum plausus instabilis, & ad quaeuis noua suspensi vulgi, tum sententiae eorum qui rem curatius expendunt, et externa specie se illudi non patiuntur. Illa vt maxima pars hominum, eius lectione super modum vbique delectata fuit, et subinde nouas editiones anhelauit; Haec ceu inconsideratum et



(3) Act. Hist. Eccles. l. c. p. 305.

immaturum foetum abiecit. Ita tamen vt ratione progressus prima eruditi orbis iudicia a posterioribus probe secernenda sint. Primus nimirum Chronicorum Regum Angliae scriptor, non tam inverecunda et improba mente negotiuum adgressus est, quam subsequens compilator. Qua distinctione opus est, ad conciliandas et interpretandas sententias in nonnullis relationibus literariis obuias. Sic Goettingenses suam epicrisin his verbis enuntiant: *Wir brauchen nicht zu sagen daß dieses Buch, so klein es auch ist, Nutzen und Vergnügen bringen werde.* (4) Et in recensione versionis germanicae: *Daß keiner, er sey ein Gelehrter oder Ungelehrter, werde Ursache haben die Zeit zu bedauren, die auf Lesung dieses Büchleins verwandt worden.* Sed postquam augmenta infelici manu confecta accessere, cordatorum Theologorum grauem indignationem effugere non potuit. Hoc maxime elucet ex pio zelo AVGVSTISSIMI REGIS MAGNAE BRITANNIAE qui suadente Consistorio Hannouerano, ex omnibus sibi subiacentibus ditionibus, venditionem horum Chronicorum eliminauit, et sedulo operam dare iussit, ad autorem detegendum et promerito mulctandum, cui praesertim in Ciuitate *Stadensi* omni rigore obtemperatum fuit. (5) Instar omnium legi meretur consummatissimum de his iudicium, quod, cum & pietatem et doctrinam simul sapiat, ceu sciagraphiam totius nostri instituti huc referre liceat. (6) *Die jüdische und bibliſche Schreib-Art ist sehr unterschieden, in den Chronicken aber braucht man die Bibliſche. Man siehet also keine Ursache, warum der Verfasser sie auf dem Titul die Jüdische genannt, als diese, er hat sie durch diese Benennung verächtlich machen wollen. Man suchet den Leser nicht so wohl auf bibliſche Ausdrucke, als auf bibliſche Geschichte zurück zu fuhren. Das ganze*

(4) de 1744 p. 634.
(5) Hamb. Ber. 1744 p. 644. sq.
(6) Freye Urth. 1744 p. 501. sq.

*tze Vorhaben ſtifftet gar keinen Nutzen, wohl aber den Schaden, daß man hernach beym Leſen der Bibel in ſeiner Andacht geſtöhret wird, wenn man ſich beſinnet, wie dieſe oder jene Redensart ſo lächerlich in dieſen Schrifften angebracht. Daß aber die Redensarten hier ſo lächerlich klingen, iſt nicht der Schreibart an ſich zuzuſchreiben, ſondern weil man ſie auſſer dem Zuſammenhang genommen, von gantz andern Sachen, und im gantz andern Sinn gebraucht. Uberdem haben ſich die Sitten der Welt gantz geändert. Die Art ſich auszudrücken, die Verbindung der Rede, die Abfaſſung der Sätze iſt geändert. Klingt doch ſchon Lutheri Uberſetzung ſeit zweyhundert Jahren gantz anders als unſere Teutſche Sprache. Die Schreibart der Morgenländer iſt allerdings, gegen die Abendländer ihre gerechnet, im Erzählen einfältig, im figürlichen Reden feurig und hoch getrieben.* Haec illi. Seuerum quoque iudicium Cl. Frid. Eberh. RAMBACHIVS inſeruit introductioni in libros V. T. Saurini operi hiſtorico nuper germanice verſo, praemiſſae. (7) Nec Famae Europeae nouiſſimae ſcriptor plane tacere voluit, (8) ſed dextre, loco idoneo, ſententiam de his tulit. Itidem Bibliotheca, quae vulgo *Raiſonnée* audit, de primis praeſertim Chronicorum plagellis exhibet epicriſin quamdam, quae tamen intentioni autoris plus fauet quam detrahit. (9) §. IV.

(7) Sect V. de ſtilo ſcripturae §. 129. p. 98.

(8) T. CVIII. p. 1007. ſequentem in modum: Es iſt zu bedauren daſs die ihren gütigen Schöpffer ohnedem täglich beleidigende Geſchöpffe, noch nicht klug werden wollen, ſondern die elende Luſt eines ſinnreichen Einfalls, der Ehrerbietung die man den göttlichen Schrifften ſchuldig iſt, vorziehen.

(9) Lubrice ſaltem haec verba concepta ſunt: Pour faire rechercher ſa chronique il a eu recours a un expedient que l'on pourroit regarder comme un travers d'eſprit - - - - au lieu d'un ſtile pur, net, elegant agreable, qui convient ſi bien a la gravité de l'hiſtoire, *il a eu choiſi un ſtile rampant, bas, inſipide, melé quelques fois d'exclamations, d'invectives, et d'expreſſions aſſez ordinaires aux enthuſiaſtes et aux Fanatiques.* vide T. XXXI. p. 342--364. Omnes autem iſtae accuſationes ſcripturam ipſam petunt, e qua ſi non omnes, plurimas ſaltem dictiones mutauit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0019
DFG

## §. IV.

Priusquam ad alia digredimur, non abs re erit, paucis attingere quaestionem: vtrum opus illud in se spectatum, pro praeclari ingenii monumento habendum sit, nec ne? Et si illud: anne Critica in fictionibus allatis aliquid desideret? Plerique ore vel scriptis quaestionem affirmarunt, ingenii licet dotes male collatas doluerint. In quorum tamen partes transire noluerunt autores Bibliothecae citatae scribentes: *mais ayant dessein de nous divertir, il auroit dû, ce me semble, s'y prendre un peu autrement. Il n'y a dans tout cela, ni sel, ni bon-mot, ni pensée fine. Quelle différence entre la tournure d'esprit de cet Auteur et celle du fameux Rabelais, qui fit rire Pluton même, lorsqu'il descendit aux Enfers!* (10) Dupliciter se exeruerunt ingenii partes, vel circa verba et phrases scripturae sacrae, vel circa facta ipsa negociis politicis huius seculi adaptanda: Prius pro lusu verbali reputandum est, in quo concinnando, opus quidem est ingenio, seu facultate similitudines circumstantiarum, cum verbis alibi de rebus paribus allatis, obseruandi. Sed si ad taedium vsque extenditur, praetereaque nihil complectitur, tanta admiratione haud dignum est. Praesertim si consideremus, scribacem hunc homuncionem phrases ineptas, nullibi in scriptura sacra in tali contextu obuias congerere, vt imperitis fucum faciat, absonas istas dictiones in sacro sancta historia reperiri. Posset nobis vitio dari, si omnes paginas peruestigare vellemus, ad recensendam istam farraginem. Tria sufficiant. Temporibus Eduardi IV. virum longaeuum extitisse commemorans scribit: *Und derselbige Mensch war sichtbahr, und lebte.* (11) Nullibi certe in codice sacro talis exstat loquutio. Thereſiam Ducem de Traun ita alloquentem introducit: *Traun der du bist ein Sohn deiner Mutter*, ridicule omnino, sed praeter usum stili

(10) l. c. p. 347.
(11) Sect. 1. p. 51.

ſtili Iudaici quem iſte Falſarius mentitur. Fatis Henrici III. in calce addit: *Hinrich aber lebte bis an den Tag daran er ſtarb.* Quae et ſimilia huius furfuris non ingenium, ſed mendacem arguunt, imo non ſine ſumma iniuria Scripturae S. inferuntur. Coeterum, quod haud inuiti fatemur, ſatyrici ſalis ſcripto multum ineſt, et in parallelismis factorum inſtituendis, ingenii vis et valor viuaque imaginatio maxima fuit, quae ſepoſito abuſu laude ſua non defraudanda ſunt. Ingenio nihilominus ſalaci nonnunquam nimis indulget, et fictiones non ſemper critices regulis attemperat. Veriſimilitudinem, ceu animam fictionum, in quibusdam locis vix inuenire datur et prorſus vacillat. De poetica nimirum veri ſpecie loquimur, cui alias tam latos terminos aſſignamus, vt etiam colloquium arborum lud. XII. ad eligendum regem congredientium veri ſpecie non careat. Haec autem quandoquidem abs homine vafro neglecta eſt. Regem Franciae, exempli cauſa, et Cardinalem Tencin ſermocinantes inter ſe legimus, verbis modoque eorundem ingenio, inſtituto, prorſus contrario. Ita nimirum Sect. III. c. XV. p. 75. Tencin Regem perſuadere conatur, ad reſtituendas regiones Hungariae Reginae vi ereptas: Rex annuit, optans vt omnes mundi proceres in idem conſentirent, ceu verba peruerſe huic negocio accommodata demonſtrant: *Habent Moyſen et prophetas, eos audiant.* Contra vniuerſum circumſtantiarum nexum, et fictiones fictionibus deſtruuntur, prorſus eum in finem comparata, ne hiſtoria diuitis epulonis ſacrilegas ipſius manus effugeret. Mox magnates ad genium huius ſeculi viuentes producit, mox mores Regum Iſraelitarum eis affingit, quo fit, vt opus generaliter conſideratum male cohaereat. In eo autem mirifice conſentiunt, omnes libri paginae, vt ſtilus V. T. hiſtoricus peruerſa et ridicula facie prodeat.

§. V.

Sed e diuerticulo in viam reuertimur. Abominanda profanatio verbi diuini, sacrarumque paginarum venenatus abusus, proxime excutiendi sunt. Hoc crimen quidem frivolus noster statim in praefatione a se auertere studuit, (12) & sub praetextu stili Iudaeorum veterum, sanctuarium impuris manibus contrectare licere sibi persuasit. (13) Sed satis superque constat, Iudaeos literatos in historiis consignandis, longe alia via incedere, qui sibi religioni ducunt, stilo Prophetarum in rebus profanis abuti. Ceu in hoc studiorum genere versati optime norunt, si inspiciant vel ex antiquioribus IOSEPHVM et *Seder Olam Rabbah*, vel ex recentioribus R. Abrahami Leuitae Schalschelet Hakkabalah. Literati quidem Hebraei vetustum scribendi genus retinent, prouti linguae annalogia iubet, & hinc quoque historicae eorundem relationes proxime ad scripturam accedunt; ast easdem phrases nunquam anxie conquirunt, praeterquam in epistolis, quibus se inuicem ad pietatem & constantiam exhortantur, in quibus locutiones biblicae frequenter admodum obueniunt. Videre hoc est ex תשבות הגאונים quae prodierunt Amstelodami 1707. (14) Iucunda lectu sunt, quae Magnif. Dn. P. F.

(12) Verbis: Wann du aber dieses lesen wirst, so must du nicht auffnehnehmen vor übel, dass ich mich erkühnet habe, nachzuahmen solchen hohen Sachen, und du solt nicht dafür halten, dass ich einen Spott damit treiben wollte.

(13) Damit ich aber desto bass ausführen möchte meinen Vorsatz; So habe ich erwehlet und habe vorgezogen die Schreibart unserer Väter der Juden, die geschrieben haben die Chronicken, allen übrigen Arten zu schreiben, darum weil diese Art zu schreiben die kürtzeste ist, und die älteste, vor welcher sich beugen müssen alle Knie auf Erden.

(14) Extat de his iudicium in relationibus innocuis de 1714. p. 618. 619. cuius tenor hoc negotium universum mirifice illustrat, ita enim illi de his epistolis et defloratione scripturae S. scribunt: Das meiste ist stilo populari und zuweilen sehr teutonizante geschrieben, so denen zur Nachricht dienet, welche meinen: Christen müsten entweder das Hebräi-

P. F. OPITIVS, fautor noſter colendiſſimus, in ſupplementum hiſtoriae Auguſtae, (*) ex Iudaeorum ſcriptis ſelegit, praeſertim ex TANCHVMA ſeu conſolatione, & ex collectione ſententiarum diuerſorum autorum RABBOTH dicta. Specimen quoque hiſtoriae regis Britanniae a Iudaeo Germanice conſcriptae exhibet WAGENSEIL (15) e quibus, vt & ex pentaplis germanicis vberior ſtili Iudaici hauriri poteſt cognitio. Abuſus interim & profanatio verbi diuini, quam exponere aggredimur, tam manifeſte ex vniuerſa libri compage elucet, vt deplorari potius quam demonſtrari mereatur, ita vt hac diſquiſitione optime ſuperſedere poſſemus, niſi tractationis ordo id poſtularet. Tria ſunt, quae autorem prauae intentionis, imo ſacrilegii reum ſiſtunt, omnemque cauillandi occaſionem praeripiunt. Sacrilegium nominamus omnes Scripturae deprauationes, quomodocunque id peragatur, notione iuri Canonico conueniente. (16)



ſche Schreiben an gelehrten Juden gar unterlaſſen, um nicht mit ihrem Stilo bey ſelbigen zu Spott zu werden, oder auch affectato dictorum Biblicorum vſu oder vielmehr abuſu, nach der meiſten Gewohnheit überall alles nothwendig anfüllen; wiewohl man hiemit nicht alle in heil. Schrifft-Garten abgebrochene und cum iudicio ad communes ſermones transferirte floſculos will als Gottsläſterlich verworffen haben; Sie ſind und bleiben des Hebräiſchen habitus Perlen und Diamante, gleichwie formulae Talmudicae an ſelbigen die andern Kleinodien; und wann damit eine Inſcriptio Lapidaris, ein monumentum oder ſonſten ein panegyricus, propemticum u. d. g. nicht ſinnreich geſchmücket iſt, kan es freylich in keine conſideration kommen; jedoch wird auch ein Familiar-Brief, wann er nur nach ſonſt gewöhnlichen Jüdiſchen Redens-Arten und Lauff ſtiliſiret iſt, nicht verachtet, (wie auſſer andern dieſe gegenwärtige Briefe der vornehmſten Rabbiner unſerer Zeiten ausweiſen und bezeugen) wo ein oder ein Paar klug inſpargirte talmudiſch- oder bibliſche Formulen darbey kommen, wird er um ſo annehmlicher.

(*) Quod duabus hucdum diſſ. expoſuit ad vitam Hadriani Imp. relatis Kiliae 1722. 1723.

(15) in der Belehrung der Jüdiſch-Teutſchen Red- und Schreib-Art, p. 157.

(16) Docente Boehmero Iur. Eccleſ. T. V. L. V. tit. XVII. p. 173.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0023
DFG

Primum hoc euincit generalis abusus S. S. conceptus. Dein speciatim dictorum cardinalium imo summe ἐνεργητικων maligna applicatio: Et scandalum denique hinc certissime redundans. Verborum vsus indifferens quidem per se est, phrases quoque extra contextum spectatae, & ex aliis autoribus hinc inde decerptae, peculiari iure non gaudent, adeo vt nihil obstet, quo minus ad alia negocia transferantur. Ast sicuti sanctitas rei cuidam attribuitur, licet intrinsece ceu res vulgaris consideranda sit, e. gr. templa, vasa sacra & similia, quorum sanctitas siue segregatio a communi vsu vetat, ne promiscue cuiuscunque arbitrio inseruiant. Eminentiori modo phraseologiae biblicae eiusmodi sanctitas vt affectio quaedam scripturae S. competit, efficiens, vt illae dictiones conceptibus, qui nullum ad Deum vel res sacras relationem habent, communicari absque profanatione & scandalo nequeant. Ex his definitio abusus scripturae erui potest, quod sit violatio sanctitatis eiusdem. Sanctitas autem est peculiaris sententiarum ad res sacras destinatio. Alias, quas sibi formarunt Theologi sanctitatis Scripturae notiones, his non excludimus, & videri possunt apud KOENIGIVM eiusdemque commentatores. Generatim in idem consentiunt, quotquot in hanc materiam forte inciderunt. Insigni eloquentiae apparatu temeratores, qui huic licentiae effrenatae indulgent, contundit ROBERTVS BOYLE (17) mox citandus. Praesertim & hic pietas in hostibus quoque laudanda est, quae se conspiciendam praebet in decreto Sess. IV. Concilii Tridentini, cuius fulmen & anathema in hos ipsos temeratores tortum esse videtur verbis: *Posthaec temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque conuertuntur et torquentur verba et sententiae Sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, libellos etiam famosos; Mandat et praecipit, ad tollendam huiuscemodi irreuerentiam et contemtum, ne de*

(17) De Stilo Scripturae.

*de caetero quisquam quomodo libet verba S. S. ad haec et similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines, temeratores et violatores verbi diuini, iuris et arbitrii poenis per Episcopos coerceantur.* Abusum dein non tantum, sed blasphemiam potius produnt, obstinatae effatorum sacrorum peruersiones, illorum scilicet, quae nemo sine diuina animi commotione secum reputat, & ecclesia Christiana propugnaculorum fidei instar veneratur: quae paginae hae detestantur, imo vix sustinere audent. Qualis pictura Reginae Hungariae filium Iosephum vlnis portantis, cum inscriptione: *Dis ist mein Sohn Ioseph, den solt ihr ehren.* (18) Et ne sine duobus ad minimum testibus conuictus abeat, inspiciatur c. XXI. (19) Vbi occasione solemniorum peractorum pergit: *Und da sie den Lob-Gesang gesprochen hatten, assen und truncken sie.* Talis nimirum sub tegumento stili Iudaici latet anguis in herba! Haec est lingua φλογιζομενη υπο της γεεννης, quae a diuo Iacobo commemoratur. (20) His tertio denique loco scandalum indissolubili nexu coniunctum est. Deista, & vniuersa eorum cohors, qui religionis mysteria rident, gloriabuntur de noua sibi oblata calumniandi occasione, atque felici incredulitatis successu. Impius porro, qui negotiis huius mundi implicitus, Deum in scripturis loquentem non curat, eius lectionem magis magisque abhorrebit: sacra cum profanis, vera cum fictis commixta videns, vtrique idem pretium statuet; cum praesertim modus, quo Deus humano generi abdita salutis mysteria reuelauit, ceu simpliciſſimus, vulgaris, & talis quidem in istis paginis depictus sit, quo nemo sanus vnquam in re seria nostro & superiori aeuo vlus est. Quis denique homo pius & religioni Christianae sincera mente addictus, in lectione Bibliorum inoffenso pede progredi potest, cum mentem subit, haec vel illa verba ενεργητικα,



(18) Sect. III. p. 45. (19) ib. §. 9. p. 123. (20) c. III. v. 6.

in quibus fidei praesidium positum est, ad impia & mundana negocia translata esse, & vix se a συγχυσι quadam damnosa temperabit. Haec etsi sole clariora sint, tacita tamen quadam obiectione obnubilari possunt. Praetendere forte potest: Scripturam ipsam hac via incedere, quae res mysticas in Cantico Canticorum sub schemate amorum Salomonis cum Aethyopissa quadam formosa adumbrauerit. Interpretes siquidem, & inter hos magni nominis quidam, volunt: Salomonem sponsae suae venustatem casto amoris affectu secum reputantem, a Spiritu S. correptum fuisse, ad sublimiora sub hac imagine terrestri literis consignanda. Sed haec obiectio aut plane nullo nititur fundamento, aut sua ipsa mole corruit. Prius largimur occasionem scilicet a thoro coniugali desumtam esse, & ita quoque, vt respectus ad connubia cum filia Pharaonis celebranda non plane perierit, de quo allusiones ad eiusmodi commercia nos dubitare non sinunt. Hanc sententiam placitis rigidiorum quorundam, & audaciae aliorum seu mediam praeferimus. (21) Posterius interim negamus, impudens hoc scriptionis genus hic vllum praesidium inuenire. Illic sub inuolucris mundanis coelestia, hic sub conceptibus diuinis profana animo obuersantur, mira certe catastrophe! Hic primarius scopus amor Deo deuotus, qui fortis est vt mors, cuius flammam aquae multae exstinguere non possunt, Cant. VIII, 7. & secundarius respectus, ad suffulciendam nostram infirmitatem, ducit ad tenerrimos amantium affectus.

§. VI.

Quum igitur tanto crimine compilator iste nefarius se polluerit, iuuat inquirere quo peccati nomine speciali id designandum veniat. Sub finem recensionis horum Chronicorum a collectoribus Act. Hist. Eccles. factae additur problema: *Vtrum si peccato*

(21) Prouti huius rei argumentum edisseruit Ven. Praesul Lubecensis D. Ioan. Gottl. Carpzouius P. II. c. VI. intr. ad LL. Can. V. T.

*cato in Sp. S. adhuc dum hodie locus detur, illud in eiusmodi deprauatione verbi diuini, miseris mortalibus in salutem consignati, consistat?* Quam quaestionem excercitatioribus ingeniis diluendam proposuit anonymus quidam, qui anglice schediasma euulgauit sub rubro: *a Lettre concerning the abuse of scripture termes.* Londini MDCCXLIII. Iste scriptor licet pium zelum erga malignos hos conatus satis testatus sit, tamen quod mireris, aut praeter intentionem excitauit illum pruritum, aut animos quorundam in hoc praeclarum inuentum, scilicet, induxit, ceu innuere videntur excerpta loco citato obuia: *Satyrischer Weise stellet er diesen eingebildeten witzigen Köpffen vor, die Redensarten des A. T. würden ihnen Gelegenheit geben, die politische Begebenheiten unsrer Zeit darin zu kleiden.* Sed haec obiter. Quaestionem propositam quod attinet, nemo inficiabitur Sp. S. valde contristari eiusmodi peruersis machinationibus, sanctuarium temeratum et hominibus impiis ludibrio expositum videns. Num hoc autem stricte loquendo peccatum in Sp. S. arguat, altioris est indaginis. Plurimi quidem in eo conueniunt, illud hodie adhuc committi posse, sed plures vna circumstantias requirunt, quae coniunctim praecise adesse debent, quarum explorationi, consideratio status peccantis, modus gradusue criminis multum confert. Vt fere semper hodie de eo iudicium Deo, qui renes & abdita cordis scrutatur, relinquendum sit, quo itidem hoc existente casu plurima redibunt. Illud interim in confesso est, tertium peccati in Sp. S. requisitum cum omni suo ambitu hic adesse, a quo, ad praesentiam reliquorum facile valet consequentia. *Lyserus* hoc criterium per *verbi voluntariam ex odio et contemtu peruersionem, atque blasphemam et obstinatam impugnationem effert.* (22) Cui sane hoc scriptionis genus exacte respondet, vbi medium gratiae in instrumentum nequitiae peruertitur, pedibus conculcatur, & canibus atque

(22) Syst. Exeg. ad h. l. p. 682.

atque porcis, qui foras sunt, ludibrio exponitur. (23). Scriptura de peccato in Sp. S. agens digitum ad istam illusionem intendere videtur verbis: παραδειγματιζειν & ἐνυβριζειν, (24) quae sua emphasi haec omnino inferunt. Quicquid rei sit, ardua semper, propter abditos cordis recessus, permanet de peccato in Sp. S. consummato quaestio. Satius erit iudicium suspendere, & in re obscura tacere, cumque scandalum manifestum ex istis conatibus eluceat, acquiescere verbis Saluatoris: ὀυαι τω ἀνθρωπω ἐκεινω, δι ὀυ το σκανδαλον ἐρχεται.

## §. VII.

Nostrum non est vniuersum sacri codicis stilum examinare, ad eius vel aptitudinem & cum rebus propositis conformitatem vel concinnitatem vindicandam. Eiusmodi enim opus vitam vnius hominis excederet, & adhuc numerum piorum in ecclesia desideriorum augere posset. (25) Stilum historicum eundemque librorum V. T. nobis proposuimus vindicandum, quo arctiori sensu libros IV. Regum & Graecis dicta Paralipomena referimus, utpote qui peculiari a reliquis dialecto non immerito secernuntur: (*) de quorum etiam venustate, θεοπρεπεια, aut cum sana loquendi ratione congruentia animus lectoris, perlustratis pseudochronicorum

(23) Huc apprime collineant, quae Summe Reu. D. D. Winckler Superintendens hodie Hildesiensis, egregie de hoc doctrinae capite nouissime disseruit: in der schriffmässigen Erörterung, der wichtigen Lehre von der Sünde wider den H. Geist, §. XXXIII. p. 48.

(24) Hebr. VI, 6. c. X, 29. Speciatim vltimo verbo hanc emphasin tribuit Seb. Schmidius ad v. 29. loco VIII. p. 1163. Spiritus S. est cum verbo lecto & audito: adeo vt qui verbum Dei ignominia afficit, ipsum Sp. S. ignominia afficiat. Nam ideo peccans in Sp. S. dicitur hunc blasphemare, quia verbum Dei blasphemat & impugnat.

(25) Consilium istiusmodi operis insertum lege V. N. an. 1702 p. 226 sq.

(*) Qua in diuisione sequimur Io. Dan. *Kislingium*, quam exposuit Diss. I. *de dialectis Ebraeorum puris* c. III. §. 1.

rum fasciculis potissimum ambigit. Nos quidem non latet, doctos pariter atque indoctos ab omni aeuo haec historica γραμματα in magno pretio habuisse, ita vt numerus eorum vix iniri possit, qui egregiis libellis modum, quo sancti Dei homines facta vel mala vel bona summo candore, nitore, & simplicitate proposuerunt, insigniter laudarunt: Quinimo non ausi sunt oratorum Graecorum & Latinorum narrationes iis aequiparare, nedum praeferre. Sed nunquam ex altera parte defuerunt, qui pro maligno, quo in sacra feruntur, animo, aut nimio Critices amore scripturam, historice praesertim loquentem, fastidiuerunt, & barbara mente, barbarum stilum vbique sibi inuenire visi sunt. In prima ecclesia, vbi malignus spiritus omne venenum euomuit, illusores Christiani nominis affatim incuriam, ruditatem, & ceu loqui amant των γραφων εν λεξεσιν ευτελειαν magno furore adgressi sunt. Colligere id licet tam ex disertis eorundem verbis, quam ex responsionibus Patrum. Vnde LACTANTIVS queritur: (26) *Haec inprimis causa est, cur apud sapientes et doctos et principes huius Seculi S. S. fide careat, quod Prophetae communi et simplici sermone ad populum sunt locuti. Contemnuntur itaque ab iis, qui nihil audire vel legere, nisi expolitum ac disertum volunt; nec quicquam inhaerere animo potest, nisi quod aures blandiori sensu permulcet. Illa vero, quae sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existimantur. Adeo nihil verum putant, nisi quod auditu suaue est, nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem, nemo rem veritate ponderat, sed ornatu.* Quibus in obiectionibus porro diluendis versatur instans: (27) *Inde homines literati cum ad Dei religionem accesserint, si non fuerint antea ab imperito doctore fundati, minus credunt, diuinarum literarum communem sermonem pro sordido aspernantur.* Instar omnium contumelia IVLIANI hoc declarat,

C

(26) L. V. Div. Inst. cap. I. p. 417 sq. ed. Th. Spark.
(27) L. VI. c. XXI.

rat, ſicut ex reſponſione Cyrilli Alexandrini colligere licet, (28) ἐρει τις, ait, ἡ μεν θεια γραφη κοινονει και ἀγελαιαν, και ἀπασι κατημαξευμενην ἐχει την λεξιν. ἐυζομει δε τα Ἑλληνων και καταπλυσει τα ἐπιχαρι, και προς γε τελω ἐυεπες· Φαμεν ἀν ὁτι γλωττη μεν Ἑβραιων ἐλαληθη τα προφητων, και αὐτα δε τα Μωσεως, ἑνα και ὑπαρχη γνωριμα εις το της γλωττης ἐυρεσις, και δυσεφικτον ἐχοσης παντελως ἐδεν· Plura hac de re habet inſigne quondam illud huius academiae decus, b. KORTHOLTVS, in pagano obtrectatore cap. XII. *de barbaro, ſordido incultoque Chriſtianorum ſtilo.* Horum veſtigiis inſiſtit & ad contemtum ſtili V. T. multum contulit Criticorum audacia, quos hoc & ſuperius ſeculum tulit. Cuius cohortis coryphaeos ſaltem adducere iuuat. RICHARDVS nempe SIMON, IOH. CLERICVS & CAROLVS le CENE, in perpetuum eruditionis ſuae dedecus, ſtilum hiſtoricum coram ſeueriſſimo tribunali Critices condemnarunt. Quo magis enim S. S. pleonaſtice, inordinate, inconcinne loquitur, eo firmiori hypotheſi SIMONII ſtat talo, quare etiam omnem mouit lapidem ad coaceruandas tautologias, ad demonſtrandum hiſtoriarum ſacrarum ὑζερον προτερον, vt nobis V. T. ſumma cum confuſione, abſque vlla ſtili & cohaerentiae cura, conuolueret. Nulla ſecundum SIMONIVM in volumine hiſtoriarum dari poteſt συναφεια, cum non vnus ſed plures ſcriptores ſectiones ſingulas compilarunt. Haec quidem multoties caſtigata ſunt, ſed quae ad praeſens negocium praeciſe ſpectant, excerpemus, ne videamur ipſi iniuriam inferre. Statim in praefatione (29) ita ſermocinatur: *On pourroit auſſi dire, que lors q'on a compilé l'abregé de l'ecriture, on n'a pas eu touiours egard a l'ordre de tems, mais qu'on s'eſt appliqué principalement a publier les hiſtoires, qu'on jugea alors être les plus propres, pour inſtruire le peuple. On peut encore joindre à ce principe un autre qui*

(28) L. VII. contra Iulianum.
(29) Dans l'hiſtoire critique ſur Vieux Teſt. p. 6.

*qui servira à rendre raison de quantité de repetitions ou redites des mêmes choses : Il y a bien de l'apparence, que ceux qui ont joint les anciens memoires, pour enfermer le corps des livres canoniques, qui nous restent, ne se sont pas mis en peine de retrancher plusieurs termes synonimes, qui se trouvent dans leurs exemplaires. Il vaut mieux, ce me semble, recourir à ce principe, que de faire Moyse, où des scribes de son tems, auteurs d'une infinité de repetitions, qui sont dans ses livres, non plus que d'un grand nombre de transpositions.* Ex quibus intelligere licet, qua fronte in sequentibus scribat : *L'on y voit tantôt un stile fort coupé, et tantôt fort étendu, bien que la diversité de la matiere ne le demande pas, il faut neanmoins avouer, que les Hebreux ne parlent souvent, qu'à demi mot, et qu'ils ne font quelques fois qu'entamer une matiere sans l'achever, qu'ils ne sont pas mêmes exacts dans l'arrengement de leurs paroles.* (30) CLERICVS in refutatione huius libri, sub nomine iudiciorum Theologorum Batauorum, hanc causam fere peius quam eius anteceſſor egit. Totum inspirationis systema subuertit, historicis humile & per quam vulgare attribuit dicendi genus, & quod summum est non erubuit, cantica, orationes & alia historicis inserta libris, tanquam vulgaria, & sine antegressa meditatione protrusa reiicere, vt nil ibi nisi quid pro quo adpareat. Ita enim de canticis, ceu loquitur, *sur le champ* compositis scribit: *Il semble qu'il ne falloit avoir, que de la pieté et du zele pour les composer, au moins on conçoit sans peine, qu'un homme pieux et zelé pourroit aisement aujourd'hui louer Dieu sans aucune preparation.* (31) Eiusmodi autem eloquentiae priscae monumenta, si ita extenuantur, prorsus omninoque decus historiarum sacrarum simul perit. Huic proxime iungendae sunt CAROLI le CENE calumniae, qui in *consultatione de nova ad gentium huius Seculi adornanda versione* (32) nugatur, stilum



(30) l. c. C. V. p. 43. (31) Lettre dixieme p. 230.
(32) Roterodami MDCXCVI. in 8.

lum S. S. non alium esse, quam quo peruersa in oriente plebs usa sit, & sic impropriis, vulgoque vsitatis ignobilioribus vocibus scatere. Pollicetur namque versionem, quae historias, omni textus originalis ex sua mente plebeia dictione repudiata, ita exhiberet, vt hodiernis satisfiat criticis. (33) Quibuscum per omnia conferendus est LOESCHERVS *de hostibus Ebraismi*, (34) inter quos non infimum locum occupat CLERICVS, cum biga suarum disputationum, commentario in Pentateuchum praemissa, altera *de lingua Ebraica*, altera *de Interprete Scripturae*. Horum agmen claudat, vesanus ille S. S. deprauator Wertheimensis, qui dux & antesignanus impietatis, nostro seculo florentis, merito censetur. Praesertim huc spectant quae ex eius scriptis collegit B. BERTRAM P. III. Verm. Betr. p. 252. c. VII. *von dem profanen Sinn des Uberſetzers*, quo cum consentiunt specialiores eius hypotheses, quas omni fide & industria eruit I. N. SINNHOLD in der Hist. der verrufenen Werth. Bibel c. II. *von den beſonderen Meinung. des Uberſ.* p. 82. 83.

## §. VIII.

His conatibus se opposuerunt, causamque Dei strenue egerunt varii passim in suis scriptis, & nonnulli ex instituto. Quorum autorum qui nobis ad manus fuere breuem catalogum dabimus. In prima classe collocandi sunt ii, qui in genere inspirationem librorum historicorum data professaque opera asseruerunt; In altera de pleonasmis & tautologiis scriptores. Quos inter eminent B. HERM. CHRISTOPH. ENGELKEN duabus diss. *quibus nullum in sacris literis pleonasmum, otiosum scilicet, dari euincit*, nec non ERDW. HERM. POLEMANNVS aliquot diss. *de Pleonasmis S. S.* B. KLAVSING *in specimine vindiciarum Sacri codicis a ταυτολογιας criminatione.* WOLLIVS *in regulis hermeneuticis περι της*

(33) Hanc errorum segetem in compendio exhibent A. E. L. a. 1697. p. 227 sqq. & Unsch. Nachr. 1702 p. 259.

(34) Ceu caput XIII. L. I. consummatissimi de causis Lingu. Hebr. operis.

*της ισοδυναμίας sine συνωνυμιας usu et abusu.* Tertiam classem occupant, qui in stilo sacro aduersus empaectarum insultus vindicando desudarunt. Praeclare hanc rem gessit ROBERTVS BOYLE in speciali commentatione *de stilo scripturae*, quae adiuncta est operibus eius germanice excusis. (35) Hebraeorum dicendi genus separatim vindicandum sibi sumserunt PAVLVS BERGERVS *de literaturae Ebraicae vbertate atque copia.* IOH. BRAVNIVS *de elegantia stili Hebraici V. T.* (36) MICHAEL WALTHERVS *de admiranda sacrarum literarum in V. T. eloquentia.* In id & multo studio incubuit Cl. ROLLIN, speciali sectione de eloquentia scripturae S. obuia in libro *de tradenda liberalium artium institutione*, (37) quae certe in hunc finem a disertissimo autore relata legere, neminem pigebit. Accedit introductio in S. S. praemissa operi Iac. Saurin de historiis sacris, quoad primam partem Germanice nouissime evulgato. (38) Instar omnium autem in hunc censum referri meretur Ven. CARPZOVII Introd. in libros canonicos, eosdemque praesertim historicos, & speciale caput de linguae Ebraeae dignitate atque excellentia criticae S. insertum. (39) Locum sibi quoque hic vindicaret F. I. BVCKII *Betrachtung über die Schreib-Art der H. Schrifft*, (40) nisi ad alium

 finem

(35) Halae MDCCIX. in 8. magis quidem rhetorice quam critice in eo versatus est, sed ita vt omnibus aliis has lucubrationes praeferendas ducamus. Pro summo enim quo aduersus Deistas ferebatur odio id exsequutus est. De quo eius zelo insuper testatur versio Arabica operis Grotiani de Verit. Relig. Christ. quam procurauit, vt & institutum eius haud mediocri argenti vi suffultum et contra Atheos directum, de quo agunt Act Erud. Lipsi. MDCXCIII. p. 392 sq. & RICH. BENTLEY *refutatio Atheismi ex instituto Rob. Boyle proposita.* Londini 1692 in 4. dein in 8. expressa.

(36) Select. S. L. V. Exercit. III. p. 637.

(37) ed. Gallicae L. VII. p. 582.

(38) Sect. V. von dem Stilo und der Schreibart der H. Schrifft.

(39) L. I. c. IV. (40) Regiomonti MDCCXLV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0033
DFG

finem tenderet. Quaedam enim oracula N. & V. Teſt. ſeorſim producta de ſua diuina origine teſtari comprobare adgreſſus eſt. Quartam denique claſſem occupant ii, qui pro veritate religionis Chriſtianae militarunt, quorum multi obiter hanc de ſtilo quaeſtionem tetigerunt. Omni praeſertim candore & eloquentia id exequutus eſt MORNAEVS (41) cuius aurea verba omnium oculis ſubiici merentur, ita de hiſtoricis relationibus concepta: *Accedant iam ſeu duriſſima corda, ſeu faſtidioſiſſima palata ad illas noſtras V. T. hiſtorias: vt Iſaac ſacrificandus ducitur: vt Ioſeph a fratribus agnoſcitur: vt Iephta filiae occurſu turbatur: vt Dauid exitio Abſolomi cruciatur; Tum certe ſi fateri lubet, eam toto corpore formidationem, eam cordis commotionem, eos animi motus vno momento perſentient, quae non oratorum Athenienſium Romanorumue actio, motus, geſtus, non contentio laterum, non verborum vlla vis, ſi eamdem hiſtoriam tractent, vel diebus integris aut elicere, aut inducere poſſunt. Quodſi vero easdem narrationes apud Ioſephum legas, cui ob hiſtoriae elegantiam Titus imperator ſtatuam inſtituit, poſtquam omnia rethorices ornamenta adhibuit, gelidiorem te quam ſuſceperit dimittet, nimirum non vult vera pulchritudo fucari, et quo magis nuda eſt eo vehementius trahit.* His quinta demum claſſe accenſendi forent de maieſtatico ſcripturae ſtilo commentatores, ſed cum perraro hoc de hiſtoriis momentum attigerint, de his ſpecialiora quaedam ex noſtra ſententia trademus.

## §. IX.

Ordinis namque ratio poſtulat, prius quam ad obiectiones deueniamus, obſeruationes quasdam praemittere, quae hiſtoricum dicendi V. T. genus in theſi confirmant. Quod cum a priori vel a poſteriori peragi queat, ſtatim occurrit maieſtas, quae omnium aſſenſu Scripturae vt affectio generatim competit: Num autem

(41) Cap. XXVI. p. m. 543.

autem libris historicis in strictiori sensu, vt historicis, qui facta hominum describunt, illa attribui queat ambigi potest, & a multis in dubium vocata est, quod ex sententiis quorundam §. VII. adductis satis liquet. Videant alii an his accenseri possit Cl. HOLMANNVS, (42) qui eam omnibus S. S. libris inesse sibi persuadere non potuit, saltem haec verba id innuere videntur: *Die Theologi aber gestehen sonst selbst, daß der Stilus der Schrifft schlecht und einfältig sey, weil sich GOtt nach unserm Verstande darin accommodiren wollen; so können sie ja jetzt denselben nicht als hoch und majestätisch angeben. Und wie will sich einer getrauen zu beweisen, daß die heilige Schrifft in allen derselben Büchern so geschrieben sey, daß kein Mensch dieselbe Schreib-Art aus natürlichem Vermögen so einrichten können? Man findet auch nicht in allen Büchern der heiligen Schrifft den vorgegebenen majestätischen Stilum.* (43) Omnis quaestio redit ad definitionem stili maiestatici, qua exposita, facilis ad singulares scripturae partes progreditur applicatio. Haec autem sub obscuris incompletisque notionibus a plerisque vsque dum tradita est, & ad eam forte rerum classem referenda, quae non demonstranda sed pio lectoris affectui & zelo relinquenda sunt. Cl. CARPOVIVS in notionibus distinctis condendis alias promtus, hoc diuinae veritatis criterium neque ipse dilucide excussit; sed in mentione assertionum simpliciorum, praeceptorum rigidiorum, sine respectu personarum propositorum, acquiescit, (44) quae sane ad plurimas sacri codicis partes applicari vix possunt, ita vt illam notionem paulo altius repetendam esse, censeamus. Iam cum nostra in hac tractatione intersit, periculum faciamus in distincte eruenda maiestatici stili praesertim historiae

(42) Uberzeug. Vortr. von Gott und der Schrifft p. 700.

(43) De his vide epicrisin Parte LXXIV. der auserlesenen Theolog. Biblioth. p. 131.

(44) T. I. Theol. Reuel. ad h. l. §. LXXXV.

storici definitione. Maiestatice loqui is dicitur, qui pro dignitate, quam super omnes eminentem sustinet, loquitur. Quando igitur Deus, modo tremendae suae sanctitati conformi, loquendo humano generi se conspiciendum praebuit, maiestatice locutus est. Non semper autem in S. S. directae Dei de semetipso verba facientis enunciationes exhibentur, mysteria & res sublimes ergo deriuatiue pro Deo ipso sumenda sunt, & tum stilus maiestaticus emergit per conuenientiam verborum cum rei sublimitate. Quemadmodum igitur dicimus: haec est Ciceronis, illa Plinii dictio, quia verborum valor tantis ingeniis dignus est: Ita etiam, si ima cum summis conferre licet, quilibet in lectione oraculorum Dei fateri debet: haec est vox eius, qui Rex Regum salutatur, quia is vocum ordo eius maiestati conuenit. Iam quis existimet, eam recensionibus sacris historicis neutiquam competere, cum primo obtutu praeter facta hominum & expositiones simplices ac planas nihil obueniat. Sed considerandum est, quod potior earundem pars ad Deum resque diuinas respectum habeat: extant ibi eloquia prophetarum ex ore Dei hausta, & quae insuper in θεοπρατια V. T. Deus ipse peregit. (45) Quae his superadduntur facta regum & illustrium virorum, piorumque

(45) Hoc ex professo tractantem consule SAM. WERENFELSIVM in diss. *de zelo in Scriptura S. vbique conspicuo*, *pro vna gloria Dei*, quae sexta est in Sylloge Diss. eius Theologicarum vbi inter alia p. 217. ita habet: Venimus tandem ad historiam S. S., quae ratione tam singulari tendit ad gloriam Dei, atque in hoc tam diuersa est ab omnibus omnium seculorum historiis, vt si quis non videat μεγα λιαν διαγημα, nihil videat. Si ex aliquo quaereres quam historiam scripsit Q. Curtius, imperite is tibi respondere videretur, si diceret scripsisse illum historiam Hephaestionis, Parmenionis, Crateri, Perdiccae, aut exercitus Macedonici; Diceres eum Alexandri M. historiam conscripsisse, hunc praecipuam sustinere historiae personam: *Ita sane si quis ex te quaereret, quaenam historia contineatur in libris Mosis, Iosuae, Iudicum, non minus imperite respondetes, si diceres contineri in iis historiam patriarcharum, populi Israelitici. Dei historiam continent, vnius Dei domini totius mundi.*

que hominum, ex innumeris aliis eiusdem temporis peculiari sapientia collecta sunt, atque ita proponi debuerunt, vt in quouis animo scopum intentum, vel emendationem vel confirmationem obtinerent. Hinc Deus istis narrationibus characterem impressit externum, qui de sua diuina origine testaretur. Hic autem character externus cum maiestas sit, facile a priori colligi potest, libros historicos stilo maiestatico non destitutos esse. Hoc si a posteriori consideremus, diuinum dicendi genus quoad narrationem diuersorum factorum consistit, in relatione simplici, absque omni fuco, cum grauitate insigni recta, quae imagines rerum animo viuide praesentes sistit, & lectorem vel in admirationem rapit, vel auersationem, amorem, vel eiusmodi alios affectus animo ingenerat.

§. X.

Haec si vlterius rimari velimus, perfectio ista totalis resoluitur in ideas quasdam partiales. Sic pro indole & scopo Scripturae, ad stuporem vsque inuenimus characteres personarum exacte obseruatos, & dein affectus vehementissime expressos. Prostant orationes, personis temporibus & obiectis conuenientissimae, quae cum descriptionibus ibi allatis, omnem humanam sapientiam, & eloquentiae vim, longe superant. Non desunt, qui maiestaticum Scripturae loquendi modum, ceu flores in vnum collegerunt, & rhetoricam sacram exquisitis exemplis illustrarunt; Verum e libris historicis ex professo nemo, quantum scimus, idem eruere aggressus est. Quare occasione ita ferente, hoc sequenti illustrabimus exemplorum cumulo. Illa ex vernacula hauriemus, vt eos in ruborem coniiciamus, qui Lutheri versionem omni flore destitutam esse opinantur. Primum de affectibus, gaudio, tristitia, metu & eiusmodi aliis initium faciemus. Nemo certe a lectione historiarum recedet, sine insigni affectuum commotione, quam nemo non e. gr. in tragica Iose-

phi historia persentiscit. Quotusquisque est, cui non interiora cordis & hilara frons Iacobi reuelatur, ad animum reuocanti verba: *Ich habe genug, daß mein Sohn Joseph lebet, ich will hin und ihn sehen, ehe ich sterbe.* Quis non tristitiam Hiskiae regis ceu in tabula depictam videt, cum enim ex prophetia Iesaiae, tristis animum eius subiret mortis imago, haec solum commemorat historiographus: *Er aber wandte sein Antlitz zur Wand.* (46) Loco cuius alius forte nescio quem eiulatum licet in cassum adduxisset. Eodem certe modo se habet ac AIACIS apud Homerum silentium, quod ipsum a LONGINO inter sublimiora orationis refertur scribente: (47) *Vnde nonnunquam accidere videmus, vt nudus ac sine voce sensus, ob hanc arrecti sublatique spiritus altitudinem per se admirationem habeat.* ὡς γὰρ Αἴαντος σιωπὴ, μεγα, καὶ παντος ὑψηλοτερον λογου· Sic Dauid interitum Abneri plangens, qui a manibus iniustis Ioabi ceciderat, his verbis nos in dolorem trahit: *Abner ist nicht gestorben, wie ein Thor stirbt, deine Hände sind nicht gebunden, deine Füsse sind nicht in Fesseln gesetzet, du bist gefallen, wie man für bösen Buben fällt.* (48) Idem rex deplorans necem Ionathanis, prodit tristitiae affectum intensissimum, verbis licet non ad artem compositis, non coloratis, quae tamen admiranda grauitate pollent: *Es ist mir leid um dich, mein Bruder Ionathan.* Metus, qui desiderat imaginem persequetur Saulem 1 Sam. XXXI. aut pensitet verba Michae: (49) *Siehe du wirsts sehen an dem Tage, wenn du von einer Kammer in die andre gehen wirst, daß du dich verkriechest.* Quam submisse, & trepidante loquitur voce Abigael ad Dauidem ira feruentem: *Ach mein Herr! mein sey diese Missethat, und laß deine Magd reden für deinen Ohren, und höre die Worte deiner Magd.* Hic prima quidem fronte fastidiosa occurrere videtur tautologia, sed qui affectum expenderit aliter sentiet: Quam blande

(46) II. Reg. XX, 2.
(47) Sect. IX. p. 43. ed. Tollianae.
(48) II. Sam. III, 33. 34.
(49) I. Reg. XXII, 25.

blande deinceps animum eius demulcere ſtudet: *Wann ſich ein Menſch erheben wird dich zu verfolgen, und nach deiner Seele ſtehet; ſo wird die Seele meines Herrn eingebunden ſeyn im Bündlein der Lebendigen, aber die Seele deiner Feinde wird geſchleudert werden mit der Schleuder.* Characteres perſonarum videmus non conſtanter ſolum ſeruatos, ſed & mirifice depictos. Quotusquisque igitur profanas hiſtorias in deliciis habet, & hic inueniet, quo ſitim ſuam reſtinguat, quae certe non minori elegantia confecta ſunt. Inueniet Samuelem iuſti ac recti ſemper tenacem, opum contemtorem, qualis ARISTIDES. Saulem ex virtutibus vitiisque mixtum & in vtrisque inconſtantem, qualis ALCIBIADES. Dauidem ex priuato principem, fortem, ingenioſum, bello felicem, victoriis inclytum, gentium domitorem, clementem admodum, qualis CAESAR dictator. (50) Ita e. gr. nobis proponitur vir doloſus in perſona Ioabi paucis verbis: *Sein Schwerdt ging gerne aus und ein.* (51) Conſtans in Dauide, ex cuius ore haec in ancipiti fortuna profluunt: *Siehe mein Sohn, der von meinem Leibe kommen iſt, ſtehet mir nach meinem Leben, warum auch nicht jetzt der Sohn Jemini?* Inhumanus & impetuoſus vir micat ex ore Nabalis irati: *Wer iſt der David, und wer iſt der Sohn Iſai? es werden jetzt der Knechte viel, die ſich von ihren Herren reiſſen.* Imago ſenis grauiſſimi & aetate confecti ſub perſona Barſilai in conſpectum prodit, qui vitae vanitates deſpicit, cuius character loquendo praeclare exprimitur: *Was iſts das ich noch zu leben habe, daß ich mit dem Könige ſollte hinauf ziehen. Ich bin heute achtzig Jahr alt, wie ſollte ich kennen, was gut oder böſe iſt, oder ſchmecken, was ich eſſe oder trincke, oder hören, was die Sänger oder Sängerinnen ſingen. Laß deinen Knecht umkehren, daß ich ſterbe in meiner Stadt, bey meines Vaters und meiner Mutter Grab.* (52) Addatur



(50) vid. Grotium Praef. in I. Sam. apud Calouium.
(51) II. Sam. XX, 8. (52) II. Sam. XIX, 34.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0039
DFG

character ſuperbi & prae nimio faſtu tumentis: *Ich bin durch die Menge meiner Wagen auf die Höhe der Berge geſtiegen, auf den Seiten des Libanons, und bin kommen an die äuſſerſte Herberge des Waldes. Ich habe gegraben und ausgetruncken die fremden Waſſer, und habe vertrucknet mit meinen Fuſsohlen die Seen.* Ita nimirum Rex Aſſyriae faſtuoſus loquens a ſacro ſcriptore inducitur.(*) Neque oratiunculae quaedam deſunt, ad quarum excellentiam euehendam anguſtia harum paginarum non ſufficit. Contemtores ſaltem ſtili hiſtorici huc oculos conuertere iubemus, & intueri Samuelem imperio ſe abdicantem; Abigaelem deprecantem, & Dauidem varia occaſione vel plangentem vel triumphantem.(53) Deſcriptiones locorum, praeliorumque prolixae in libris hiſtoricis ſacris, ſi hymnos quosdam excipias, non occurrunt, ſed ex Pſalmis ſatis condecorari poſſunt, hoc, ſi quid eſt in hiſtoricis, ornamento, quorum plurima pars occaſione eventuum in libris Samuelis & Regum commemoratorum confecta eſt. Ablegamus, qui hoc deſiderant ad BOSSVETI praefationem *de grandiloquentia et ſuauitate Pſalmorum* praemiſſam verſioni ſuae Hymnorum Dauidis. Ex quibus vnicum delibaſſe ſufficiat, deſcriptionem tempeſtatis ſcilicet. *Sit exempli loco*, praeclare ſcriptum reliquit laudatus auctor, *tempeſtas* Pſ. CVII, 25. *his expoſita verbis:* Dixit! et ad adſtitit Spiritus procellae, intumuerunt fluctus, aſcendunt vsque ad caelos, et deſcendunt vsque ad abyſſos. *Sic vndae ſusque deque voluuntur. Quid homines?* turbati ſunt et moti ſunt ſicut ebrius: et omnis eorum ſapientia abſorpta eſt; *quam profecto fluctuum animorumque agitationem non Virgilius, non Homerus tanta verborum copia exaequare potuerunt. Iam tranquillitas quanta:* ſtatuit procellam eius in auram, et ſiluerunt fluctus eius. *Quid enim ſua-*

(*) II. Reg. XIX, 23. 24. (53) II. Sam. XIX, 23.

*suauius, quam mitem in auram desinens grauis procellarum tumultus, et mox silentes fluctus post fragorem tantum? Iam maiestas Dei quanta in hac voce: Dixit et procella adstitit. Non hic Iuno Aeolo supplex. Non hic Neptunus in ventos, tumidis exaggeratisque vocibus saeuiens, atque aestus irae suae vix ipse interim premens.* Plura de magnificis scripturae descriptionibus dabit Rollin. (54).

## §. XI.

Sed obiiciet quis fortean: particulas istas ceu flores ex historiis descerptas, librum quidem; sed non stilum ornare, aut scriptori laudem conciliare, quippe quae potissimum tantum referunt, dicta sapientum & illustrium virorum, quorum aptitudo & concinnitas non autoris debeatur promtitudini. Porro vrgeat quis facile: hoc quicquid est egregii, non vbique elucere, sed passim & sparsim tantum inueniri, ideoque non magnopere faciendum, cum etiam *barbari* PLINIO teste (55) *inuenire praeclare, enuntiare magnifice interdum soleant.* Quantum ad prius aliter se rem habere, omnis conscribendarum historiarum ratio suadet. Antiquiores aeui si scriptores inspicias, videbis, non eadem ipsa verba, quae a personis varia occasione prolata sunt, recenseri, sed talia quae affectibus loquentium reique conueniunt, ita vt scriptores eapropter mendacii vitio argui, aut fabularum textores haberi nequeant. Id quod de Thucydidis, Liuii, Salustiique recensionibus tuto affirmatur, licet de historica eorum veritate nemo sanus vnquam dubitauerit. Rationes quae nos idem de scriptoribus sacris sentire vrgent, haec sunt: Prima petita est ex more omnibus prisci aeui historicis familiari. Cui quidem prima fronte obstare videtur, hoc penes profanos autores, vel ex memoriae imbecillitate prouenire, quae verborum, licet ipsi testes auriti fuerint, non adeo tenax est, vt post interiectum



(54) L. c. C. VII. de eloquentia S. S. p. 390 sq. (55) L. III. Ep. XIII.

temporis spatium eadem praecise suggerere possit hominum dicta; vel ex inscitia inuincibili, cum non semper de qualibet historia licet momentosa acta integra consignata fuerint. Haec autem omnia intuitu scriptorum θεοπνευστων exspirare, qui spiritu agitati sunt, cui nihil tectum, sed omnia praeterita & futura reuelata sunt, adeo vt prophetis eadem ipsa verba personarum suppeditare potuerit, imo re vera suppeditauerit. Sed hoc quicquid est, ex secunda, quam mox adducemus, ratione euanescet. Illa enim, quae concinne, ornate, composite in libris historicis exhibita videmus, nunquam tam pure ex ore hominum profluere potuerunt. Obstat communis hominum loquendi ratio, qui ordini aut contextui orationis, semper aliquid aut demunt, aut viciſſim addunt, quae a scriptore deinceps ad regulas artis intra iustos limites redigenda sunt. Alia via ingreditur ROB. BOYLE, quem saepius citauimus, is incompositum historiarum dicendi genus vindicaturus, maximam obiectionis vim eneruare studet inconcinnis aliorum orationibus, quae culpa ideo in scriptorem, facta fideliter referentem, cadere non possit. (56) Proh! autem, quanta pars historici stili remaneret, si ista rescindere & tanquam aliena traducere vellemus, nullus certe verborum nexus scriptoribus sanctis attribuendus residuus esset: vt taceamus, aequalitatem, similitudinem, & analogiam dialecti vbique eiusdem, id non permittere. Hoc si a V. T. discedere velimus, in Euangelistarum recensionibus ita se habere, dubio vacat. Dicta scilicet & responsiones Christi, Apostolorum, aliorumque quoad tenorem tantummodo referri, verbis, prout Spiritui S. & Euangelistis visum fuit, transpositis & immutatis, de quo inter omnes harmoniarum scriptores conuenit.(*) Vtut igitur circa historias veteris testamenti par parium sit ratio, nihilominus & si vel centum euoluerimus autores vix vnum reperire contigit, qui vel sum-

(56) De stilo scripturae p. 46. 47. (*) Instar omnium confer B. Ioh. Reinh. RVSII Harm. Euang. T. I. L. IV. c. XXVI. p. 1130.

ſummo, vt aiunt, digito hoc tetigit. Incidenter HEVMANNVS de hyperbolis agens hanc obſeruationem inſpergit: (57) *An enim Spiritui S. curae cordique fuit, vt religioſiſſime recitaret verba eorum ipſiſſima? Annon ex Euangeliſtarum libris inter ſe collatis didicimus, non eſſe eos verborum curioſos, ſed rem narrare fideliter? Dignum eſſe duco ſacro-hiſtorico, ſenſum aliorum accurate et vere exprimere verbis vſitatis quibuscunque: viciſſim indignum eo arbitror, ſuperſtitioſule recitare ipſiſſima hominum etiam improborum verba ſingula.* Quam ſententiam licet parum tritam prorſus noſtram facimus. Pari modo orationes integrae in cenſum veniunt, quarum eſſentialis tenor in ſacris exhibetur, & quoad *τα περιστατικα* ſolum in ordinem orationis redactae ſunt. Nos quidem non fugit, criticos nonnullos improbare morem iſtum omnibus ſcriptoribus receptum. (58) *Si verum dicere licet*, tam audacter Io. CLERICVS ſuam his interponit ſententiam, *elegantia orationum, iudicio eorum qui eas in hiſtoria probant, praeſtigias facit, nam nulla ratio eſt, qua poſſit homini veri amanti perſuaderi, in hac re licere hiſtoricis ementiri. Neque enim multo minus mendacium eſt, inducere hominem dicentem quod non dixit, quia dicere potuit, quam deſcribere facientem, non quod fecit, ſed quod poterat facere.* Non eſt ut huic obiectioni immoremur, quae ſatis ab aliis refutata eſt, nominatim a GERH. Io. VOSSIO, (*) & fere omnibus octodecim iſtis ſcriptoribus qui ſub rubro *penus artis hiſtoricae*, iunctim editi ſunt. (59) Ex quibus, ſi auctoritate pugnare vellemus, multa egregie dicta depromere poſſemus. Clerico oppoſuiſſe locum IOAN. Iov. PONTANI ſufficiat, qui in *dialogo de hiſtoria conſignanda* p. 576. citatae collectionis T. I. hoc ita confirmat: *videntur eiusmodi alloquutiones, quae nunc ad multos nunc ad ſingulos habentur, decorare hiſtoriam*

(57) T. III Pociles L. III. de hyperbolis ſcripturae p 353.
(58) Art. Crit. P. III. c. VIII. §. 3. (*) in *arte hiſtorica* c. XX. & XXI.
(59) Baſil. II. Tom. in 8. a. 1579.

*riam et quasi animare eam. In quibus quoties res ipsa tulerit, neruos orationis atque ingenii sui ostendat rerum scriptor. Nec solum quae dicta fuisse referuntur, verum etiam ea afferet, quae verisimilia, quaeque dicenda tempus, periculum, reique ipsius robur postulare videtur. Vtetur in increpando acrimonia, in excitando vehementia, in sedando lenitate &c.* Satis est omnia ex vero relata esse, verborum licet ordine in extraessentialibus nonnunquam immutato, & ad artis regulas expresso, ita vt exinde stili & methodi sacri eluceat excellentia.

## §. XII.

Praestructa hac stili elegantia, reuertimur ad nostra Chronica, & sigillatim exquiremus: quo consilio nefandus & infaustus ille historicus codicem sacrum ludibrio exponere adgressus sit. Naeuos illi exprobratos colligemus, vt has maculas iustis animaduersionibus & oppositionibus a stilo historiae sacrae abstergere, eumque pristino splendori, integritati, & simplicitati restituere possimus. Quae igitur prima fronte historicos sacros incuriae, aut barbariei arguere possunt, sequentia sunt:

I. Mala per particulas vel coniunctiuas, vel aduersatiuas connexio, quod vitium omnibus viribus exaggerare annisus est.
II. Vbertas nimia, quae se ostendit rebus narrandis, vitium itidem generale, quod imitari studuit.
III. Phrases & voces peculiares, vulgares, archaeologismi singulares, quae hodiernis negociis adaptatae risum mouent.
IV. Repetitio vnius phraseos vel vocis, in aliquot periodis immediatae se excipientibus, fastidiosa.
V. Repetitio earundem rerum multiplex & molesta.
VI. Circumstantiarum minimarum nimia sectatio & recensio.
VII. Inversio constructionis, seu soloecismi quoddam genus.
VIII. Hyperbole historica.

Haec

Haec sunt, quae specie quadam textui sacro vitio verti possunt. Reliqua non curamus, nec iuuat sub specialioribus quibusdam membris complecti dictiones absonas, quae in Chronicis obueniunt, & scripturae contumelioſe illatae sunt. Qualia iam supra ad §. IV. retulimus, quibus paginae istae vndique scatent, & sub praetextu stili S. S. insperguntur, vt ab imperitis facile pro iis agnoscantur. Ita rex Angliae Iohannes in suo feruore animi iurasse dicitur: *Bey den Zähnen Gottes des Allmächtigen*, (60) & alia huius furfuris passim occurrunt. Quousque autem haec vitia cum Chronicorum libris concordant, & dein quoque S. S. respondent, ii perspiciant quibus τυπον, historicas V. T. recensiones, & ἐκτυπον, libros scilicet ad huncce stilum efformatos, inter se confere volupe est. Nam si quamlibet vitiorum classem exemplis parallelis illustrare vellemus, hoc institutum angustos huius paginae limites prorsus excederet. Doctis scribimus qui stilum S. S. hist. ex asse norunt, & facili negotio cum nostris Chronicorum libellis comparare queunt.

## §. XIII.

Antequam autem istas nebulas, quibus offunditur sanctorum Dei virorum stilus, dispellimus, nonnulla in anteceſſum praemonenda veniunt, quae viam sternunt, ad diruendas istas machinationes. Certum est de stilo libri non prius esse iudicium ferendum, quam de eius scopo atque intentione constet. Hanc si inuestigemus, historica illa relatio, prorsus alia facie prodibit. Est autem isthaec diuini numinis in consignandis historiis sapienti consilio ad sanctos fines directa intentio, non heri aut nudius tertius exsculpta, sed ex trito eruitur canone: scripturam vniuersam, & sic indubitato nexu hanc quoque partem, ita ex scopo diuino esse confectam, vt a quouis etiam simpliciſſimo possit intelligi, &



(60) Sect. I. p. 25.

in vsum doctrinae & emendationis conuerti. Hoc modo Spiritus S. ad captum vulgi se demisit, & mox verbositate, mox descriptione rerum prudentibus διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα habentibus alias notissimarum, vsus est. Maxima enim pars hominum fugit argutam dictionem, & conceptus, qui in communi vsu minus frequentes sunt, ad sublimiora refert sibi neque vtilia, neque necessaria. Sic igitur istae relationes in vniuersi generis humani salutem adornandae fuerunt, vt quisque, tener licet annis, eas peruestigare, memoriae mandare, & ἀπὸ βρέφους salutaribus praeceptis innutriri possit. Ita enim cum rebus humanis comparatum est, vt ea, quae primis annis propter imbecillitatem capere non possumus, etiam profectiori aetate reformidemus. Adorandum hoc diuinae prouidentiae specimen est, cum experientia testetur, eas historias, quas propter facilitatem & iucunditatem ineunte aetate didicimus, continuo ad seram senectutem oculis obuersari. (*) Ex quo specialior quaedam intentio sacrorum scriptorum, & eius simul, qui per os prophetarum loquutus est, profluit, eo nimirum tendens, vt nobis historiae sacrae velut in tabula depictae traderentur, & imaginationi legentium eo melius succurrent. Sicut igitur pictor, neque lineis neque coloribus parcet, dummodo imaginem ad viuum sistat: Ita quoque scriptores θεόπνευστοι verba quam plurima, & res non magni momenti interdum adhibuerunt, quo iis perlectis, non vmbra, non fugitiua memoria, sed imago remaneret, cuius ductus nulla obliterare potest obliuio. Qua ex consideratione certe multarum dictionum, vel superabundantium, vel relatu indignarum ratio reddi potest. Mirifice ad hunc finem producendum omnia in historiis sanctis concordant. Non aliter enim nobis referri videntur, quam ex ore hominis, qui re quadam

(*) Egregie hoc illustrat LOESCHERVS L. c. de sanctis finibus Hebr. L. §. VII. C. I.

dam nouiter comperta accurrit, & geſtibus & verbis, licet non ad ſtateram dimenſis, viſa & audita animo inſinuat, qualis imago nunquam inde exiſteret, ſi vel Saluſtiano ſcriptura vſa eſſet conciſo ſtilo, cuius in lectione animus lectoris mox dubius mox anceps haeret (61). His praeſtructis dicam iis ſcribimus, qui hiſtorica V. T. ad normam critices exigi volunt, cuius praecepta elegantia licet, huc tamen relata, pro naeniis potius habenda ſunt. (*) Sit CICERONI ſuus honos: *Nihil in hiſtoria pura et illuſtri breuitate dulcius eſſe aſſerenti.* (62) Nec refert in his SCIOPPIVM audire, qui in libello (63) *de ſtili hiſtorici virtutibus et vitiis* omne quod non criticam ſapit, riſui expoſuit. Nec ſacra paganorum iudiciis ſubmittenda ſunt, velut QVINCTILIANI & LVCIANI. (64) Satis eſt, ſi grauitas & iucunditas, atque ex gemina hac affectione promanans vtilitas ſarta tectaque maneat.

## §. XIV.

Ne ſingulis porro membris operoſius lucem affundere cogamur, adhuc ſpecialiora quaedam obſeruata ſubiungimus, quae iſtas obiectiones eneruare poſſunt. Summum certe momentum

 ſitum

(61) Si vſum verbi ἱστορειν antiquiorem ſpectes, facile inde colliges hiſtoricum apud antiquos fuiſſe, qui res geſtas ad viuum quaſi oculis luſtrandas exhibet. Sic ἱστορικον ειναι apud *Ariſtotelem* L. I. Rhet. C. IV. ſignificat, *attente aliquid intueri et contemplari*, ab hac notione, hiſtorici ſequioris aetatis deflexerunt, quam Hebraei e contrario ſtrictim ſequuti ſunt.

(*) Quale diſcrimen inter hiſtoricos gentiles et ſacros intercedat ſolide excuſſit IVSTVS MENNIVS in praef. *enarrationi* eius *in priorem librum Samuelis* praemiſſa, edita Witteb. 1532.

(62) De claris oratoribus.

(63) Quod adiacet Infamiae FAMIANI STRADAE.

(64) Cuius extat commentatio πως δει την ἱστοριαν συγγραφειν· T. I. opp. eius p. 600--639. ed. Amſt. illius conſpectum exhibet FABRICIVS Biblioth. Gr. T. IV. c. XVI. §. II. p. 496.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0047
DFG

situm est in consideratione antiquitatis, cui istas historicas V. T. recensiones debemus. Omnia abstrusioris aeui monumenta, singulari veneratione alias prosequimur, imo admiramur, etsi ars nostro tempore magis exculta multa in iis desideret, naeuosque ita lubenter obtegimus. Sicut GELLIVS de versibus *Ennii* quamuis incomptis pronunciat: *Colorem* (*) *quendam vetustatis in eius versibus tam reuerendum esse, vt pro antiquis sacratisque colendi sint.* Hoc si intenta mente consideremus, longe aliam faciem historia sacra induit, illosque rubore suffundit, qui suggillandis istis mirifice sibi placent. Hi libri, quod omnes purioris doctrinae asseclae fatentur, remotissima aetate confecti sunt, qua plurimam terrarum partem adhuc densissima caligo obtexit. *Erant tum rudia omnia*, verba sunt Ven. LOESCHERI (**) *nec artificiis expolita: aedes simplici more constructae, tenuissimus apparatus, omnia ad necessitatem nihil ad luxum comparatum, ipsa viuendi conuersandique ratio facilis ac superfluis omnibus carens: Atque haec omnia in Ebraeo idiomate talia in venias, quod ita coagmentatum est, vt voces earumque formae phrasesque rudem istum ac simplicem statum mira munditie ac candore exprimant, et quasi depingant.* Amanuenses sacri quidam scriptioni parum adsueti fuerunt, ad quorum studia Deus gratiose, & incomprehensibili modo descendit. Ex quo istud consectarium profluit, admiratione potius summa dignum esse, in his antiquissimis temporibus scripta prodiisse, quae, si extra essentialia & cortices demseris, egregie concepta sunt, ceu aliquot speciminibus supra euictum dedimus. Apparet exinde, coeca eos libidine abripi, qui vitia illorum tam anxie conquirunt. Vbique antiquus, quod idem est ac maxime naturalis ordo scribendi, obtinet. Si e. gr. librum Ruth exquirimus, qui cum aliis simpliciſſima vetustatis periodo consignatus est, in eo facta

(*) Alii legunt odorem, & ne sic quidem male Noct. Att. L. XII. c. IV.
(**) De causis L. Ebr. L. I. c. I. §. V.

facta prout gesta sunt, narrantur, nullis additis coloribus, quasi ex ore grandaeui cuiusdam profluxerint. Certe si hodie quisquam, regulis, quas hausit artis, se abdicare posset, & eadem gesta referre velit, tam naturali methodo ea consignaturum, pollicemur. (65) Hinc si & illud humani instar scripti haberemus, nulla incuria, nullusque ingenii defectus ei exprobrandus foret. Phrasium quoque singularium & constructionum, quae nobis non ad palatum sunt, isthinc reddi potest ratio, quas antiquitas progenuit. Hoc ex collatione scriptorum coaeuorum constaret si hodie supersessent. Homerum si consulere libet, praeter quem per istud temporis interuallum nullum habemus, patet, eum nonnunquam simili dicendi genere in narrando vsum esse, quod probandum praesertim suscepit ZACHARIAS BONGANVS, cuius Homerus ἐβραΐζων (66) phrasium Homeri & sacri codicis parallelismum sistit. Quod forte non inde repetendum est, ac si Homerus sacras voluerit paginas, sed quod isti aetati conuenerit, imo elegans fuerit, hanc vel illam adornare verborum seriem. Maiorem hoc praeterea nanciscereturur veri speciem, si GERARDI CROESII valeret hypothesis, cuius extat *Homerus Hebraeus*, siue *historia Hebraeorum ab Homero*, (67) qui illum historias sacras prisci orbis carmine complexum esse euincere adgressus est. Hoc posterius tantum valeat, quantum cuique placet; prius tamen nobis vero haud absimile, imo exploratum esse videtur. (*)



(65) Hac quae intuitu antiquitatis exsurgit in narrando simplicitate, ad palliandos errores abusus est, *Henn. Bernh. Witter* Comment. in Genesin. Quorum nonnulli deinceps sub examen reuocati sunt a *Io. Herm. ab Elswich* pec. Diss. Witteb. 1712. quam controuersiam prolixius exhibent Unsch. Nachr. a. 1714. p. 844 sqq.

(66) Oxoniae 1658 opus per rarum. Huius dein vestigiis institit *Iac. Duport* in *Gnomologia Homeri* Cantab. 1660.

(67) Dordraci 1704. 8. qua primam partem, vide haec pluribus edifferentem Fabric. l. c. p. 344.

(*) Non procul huc forte recedit commentatio Cl. BVTTSTEDII exhibi-

## §. XV.

Dein quam maxime expendenda est climatis ratio Asiatica, quae non in mores hominum solum sed in genus dicendi quoque influit. De quo inter omnes stili praeceptores conuenit, qui largum effusumque stilum Asiaticum appellare consueuerunt. Cum igitur nemini mos suae gentis, licet aliis minus vsitatus, vitio verbi debeat, etiam scriptoribus Hebraeorum historicis vbertas dictionis, & cum ea coniuncta repetitio multiplex earundem rerum exprobari nequit. Modeste de his sentit SENECA Ep. CXIV. in qua tota probare studet: Eloquentiam alias aliam esse & placere vti mores publici sunt. Memoratu digna censemus quae ibidem inter alia de Salustio scribit: *Sic Salustio vigente amputatae sententiae, et verba ante exspectatum cadentia, et obscura breuitas, fuere pro cultu - - - - Haec ergo et eiusmodi vitia, quae alicui impressit imitatio, non sunt indicia luxuriae nec animi corrupti.* (68) Iste modus loquendi Asiaticus ita omnimode excusatur, si proinde intentio autoris, & conditio eorum, quorum vsui destinatur, eam vbertatem postulare videntur. Non possumus non huc referre eruditum GESNERI iudicium *Heineccianis* stili institutionibus interpositum: (69) *Vtrum aliquid abundet iudicandum est ex conditione audientium, si ita instituere velis oratorem vt ad pauciſſimas ideas referat orationem, praelegatur in templis decalogus et symbolum Apostolorum. Non qui hoc recte facit, eo minus Atticus est, sed hoc Atticum est, siue multis verbis dicas, siue paucis, nihil dicere quod sanum non sit, quod non ad rem ad causam ad consilium dicentis faciat.* Iam autem omnimoda repraesentatio factorum, (§. XIII.) vtpote scriptorum historicorum scopus, nonnisi larga dictione perficitur. Siue igitur spectes ingenium Orientalium, siue finem rei

tura *Homerum scripturae interpretem.* quam relationes literariae nouissimae promittunt. Hamb. Ber. h. a. No. XXIV. p. 191.

(68) p. 649. ed. Lipsii. (69) L. II. §. X. p. 132.

rei primarium nullum scriptoribus ex hac causa vitium, absque summa iniuria, imputari poterit. Breui hac obseruatione Art. II. *de vbertate dictionis vndique in sacris historicis conspicua*, & Art. V. *de repetitione earundem rerum*, (70) satisfactum esse putamus, in reliquis, breuitati studentes, lectorem ad supra citatos autores qui de *Tautologiis* & *Pleonasmis* commentati sunt, remittimus. Plane autem extra oleas vagatus est veterator noster *Chronicus*, qui hoc semper supra modum exaggerat. E. gr. describens homines superbos portatilibus insidentes vehiculis, addit: (71) *Und hatten dessen keine Scham, auch wurden sie nicht roth darüber, und sie schämten sich dessen nicht.* Et alio qui forte occurrit loco dominus Deus Israelis dixisse, execrando lusu, tradit: *Ihr sollt euch nicht fürchten für den Husaren, vor denen ihr euch fürchtet, spricht der Herr: Ihr sollet euch für ihnen nicht fürchten.* (72) In simplicitate stili quartum denique praesidium collocamus, quae ad diluendas criminationes admodum fertilis est. Per istam simplicitatem autem intelligimus: eam sermonis virtutem, quae fucum omnem, affectatum artificium, aut quicquid ad iactantiam & ostentationem facit, ab eo procul esse demonstrat: Quae definitio ab illa affectione S. S. arcet, omnem vel ruditatem, vel rusticita-

(70) E. gr. I. Chron. XXIX, 2. 15. II. Chron. X, 8. 9. 10. electio Dauidis & filii plus simplici vice ibi memorata.

(71) Prius Sect. I. p. 11. posterius Sect. III. C. XV. §. 3. p. 26.

(72) Dubium forte cuidam circa hoc in stilo Asiatico collocatum praesidium suboriri posset, conceptum nimirum ex conditione autorum, qui eadem sub coeli plaga vixeruut, & tamen stilo Laconico vsi sunt, quem & huc transfere potuissent. Ita Iobus, Prouerbia & Psalmi conscripti esse videntur. Sed vt brevibus nos expediamus, genus doctrinale quod hi libri breuiusculis incisionibus & thesibus tractant, illam iis Laconismi speciem conciliant, re autem curatius expensa, patebit, eadem dogmata saepius in vno capite, in vno Psalmo recurrere, & inculcari, stilumque summopere diffusum esse. Quare & ἰσοδυναμίας scripturae vindicatores vix vllibi quam his in libris sententiosis, operosiores esse solent.

citatem, licet flores figuras aliaque ornamenta non excludat, sed quantum fieri potest το ἁπλες ἐκ λογου ἀληθειας, & leniter decurrentem orationem sectatur. Haec praesertim in historicis scripturae libris tanta est, vt etiam gentiles olim ex hac sola ratione suum iis praebuerint assensum, fatente TATIANO Assyrio qui citante KORTHOLTO, (73) sibi accidisse ait: γραφαις τισι ἐνετυχειν βαρβαρικαις, πρεσβυτεραις μεν ὡς προς την ἐκεινων πλανην. Και μοι πειθηναι ταυταις συνεβη, δια τε των λεξεων το ἀτυφον, και των εικοτων το ανεπιδευτον. De quo nullum dubium est, quin ad libros historicos respexerit.

## §. XVI.

His quatuor obseruationibus muniti, bonis auspiciis progredimur ad singula vitiorum genera excutienda, quae dictionem V. T. historicam falso suspectam reddunt. Ea ipsa quam paullo ante memorauimus simplicitas, luculenter illustrat Art. IV. de *repetitione vnius formulae, phrasaeos et vocis crebra, et in historicis perquam molesta.* Philologi nihil prius nihil antiquius habent, quam variationem verborum et phrasium inculcare, vbi scilicet multoties de eadem re agitur, ad εὐφημιαν promouendam. Contrarium e Sacris historiis praesertim elucet, vbi eaedem enunciationes semper in eadem serie retinentur, & saepius repetuntur. Huiusmodi loca plura sunt, quam vt breui catalogo recenseri queant. Exempli loco sit, quod reges immorigeri semper eadem describantur formula: *Er that was dem HErrn übel gefiel.* Ierobeam atro carbone notatus semper audit: *Der Sohn Nebat der Israel sündigen machte.* Confer si velis illustrionis causa II. Reg. XII, 5—8. vbi eadem vox Hebraica בדק הבית & idem significans Teutonica *baufällig* septies intra breuem contextum repetitur, quod idem sciolus noster ad taedium vsque imitari omni contentione

(73) l. c. de inculto christianorum stilo p. 214.

tione ſtuduit. Hoc aures teneras offendit, & ſiniſtris eorum expoſitum eſt iudiciis, qui ſemper veneres & lenocinia ſermonis ſectantur. Verum enim vero cum omnis venuſtas in ſono, praetereaque in nihilo reſideat, ſpiritui ſapientiae indignum fuit, iſti titillationi aurium inſeruire, ne aſſumta leuitate, grauitas orationis periret. Quod verborum inſigni pondere olim ediſſeruit SENECA: (74) *Nimis anxium eſſe te circa verba*, ſcribit ad Lucillum ſuum, *nolo: Cuiuscunque orationem videris ſollicitam et politam, ſcito, animum quoque non minus eſſe puſillis occupatum. Magnus ille remiſſius loquitur et ſecurius; quaecunque dicit plus habent fiduciae quam curae.* Ceu nos hodie quoque videmus in edictis principum, vbi eadem vocum ſtructura ſubinde recurrit, quod tamen nemini graue, nemini moleſtum eſt. (*) Hoc ſæpius citatus SIMON, ſcripturae licet ſtilo hiſtorico inuiſus, nihilominus ſuo calculo comprobauit: (75) *Il ſe peut faire neanmoins*, de iſthoc vitio agens, ſcribit: *qu'une bonne partie des ces repetitions ſoyent du genie de la langue hebraique, qui eſt une langue tres ſimple, et que nous voyons mesmes dans les ordonnances de nos Rois, auſſi bien que dans le ſtile du palais, ou l'on entaſſe pluſieurs mots, les uns ſur les autres, qui ne ſignifient que la meme choſe.* En! igitur, quantum dictio neglecta ad maieſtatem ſcripturae conferat; & quam exacte in ſummum numen quadret, quod Seneca de magno illo pronunciat, qui loquitur remiſſius & ſecurius, cuius verba plus habent fiduciae quam curae. Maluimus interim in vindicanda crebra earundum vocum repetitione, huc recurrere, quam penuriam linguae Hebraicae obtendere, quae inopia eiusmodi alias vitium progignit, imperfectionemque neceſſario includit. *Quicunque libros ſacros attente legerint*, ita hac in cauſa hiſtoriarum

F ſacra-

(74) Ep. CXV. ſtatim ab initio.

(*) Hoc cumprimis vrget Io. *Braunius* exercit de eleg. ſtili Hebr. V. T. l. c. p. 649. 650.

(75) L. c. C. V. p. 38.

sacrarum inconcinnum stilum praesertim accusauit Io. CLERICVS, (76) *pauca esse vocabula, paucasue phrases esse animaduertent, perpetuo non eaedem voces, sed eaedem etiam loquutiones* praesertim in libris historicis occurrunt, simile narrationis filum, parilisque orationis color. Singulari hanc vaniloquentiam repudiauit commentatione PAVLVS BERGERVS §. VIII. cit. Hoc solummodo commemoremus neutiquam cum viri ἀκριβεια praetensa cohaerere posse, quando paulo ante linguam Hebraicam in flore suo diuitiis non caruisse concedit, sed quoad ex eius reliquiis iudicium ferri potest, inopem eam & parum cultam fuisse existimat. Sed hi ipsi historici libri in aurea quasi linguae Hebraeae aetate confecti sunt, & nitorem floremque illorum temporum necessario referre debent, ita vt merito iste vir proprio se iugulasse gladio censendus sit. Si adhuc attentius, vt scribit, & non luscis textum perlustrasset oculis, diuitias reconditas forte inuenisset. Sic e. c. in historicis fere semper obitus Regum signatur phrasi vna: *Er ward versammlet zu seinen Vätern*, cum alia occasione multifarie reddatur. Habent nimirum loco eius: expirare, morte mori, venire ad patres, animam non relictam esse, in terram reuerti, ire viam omnis terrae, dormire somnum seculi, cubare cum patribus, ire ad portas sepulcri, abire in regionem tenebrarum &c. Haec ad articulum IV. notasse sufficiant. (77)

## §. XVII.

His dictis proxime cohaeret Art. III. *de formulis peculiaribus*, quae ad modum vulgaris dictionis speciem prae se ferunt, nobisque non arrident. Plebeium quod his phrasibus inest, ex earun-

(76) Diss. cit. de lingua Ebraea §. VI.

(77) Plura qui auet adeat Paulum Bergerum Diss. cit. de literaturae Ebraicae vbertate & copia. *Loescherum* L. c. Lib. III. c. VI. §. II. p. 62. *Buddeum* Isag. Hist. L. I. c. IV. p. 128. 129.

rundem crebra repetitione elucere videtur, ceu vulgus solet idem factum, phrasi, quae nonnunquam propter paradoxon tantum placet, denotare. Sic exstirpationem omnimodam vtplurimum expressam legimus: *Daß nicht einer überbleibe, der an die Wand pisset.* Ad multitudinem, copiam, vel etiam excellentiam rei describendam, plus simplici vice vtitur comparatione: *Wie Sand der am Ufer des Meers liegt*, cuiusmodi hyperbolicis loquutionibus alias plebs indulget. Singulares porro sunt formulae: *Biß auf den heutigen Tag: Er ging und nahm zu: Gott thue mir dies und das*, eiusque generis plures, quae saepius, quam orationis venustas pati videtur, occurrunt, quarum numerum praesertim *Chronicaster* ille anxie accumulauit, & misere lacerauit, vt non necessum habeamus ea huc transcribere. Generatim teneamus, omnibus historicis loquutiones quasdam esse familiares, & ita proprias, vt in aliud scribendi genus transferri sine vitio nequeant. Iam inter antiquissimos autores repertus est, qui hoc annotauit. PARTHENIVS quidam qui praeceptor Dionysii audit, concinauit tractatum *περι των παρα τοις ιστορικοις λεξεων, de vocabulis historicorum peculiaribus*, (78) licet iniuria temporum interciderit. Cuiusmodi e. gr. apud Latinos est: Caeterum sit fides penes autorem, quorum plura occurrunt apud Heineccium, (79) & si in nostrum transfunduntur idioma omnem amittunt concinnitatem. Consulendi sunt de his IO. HENR. MICHAELIS *Diss. de peculiaribus Hebr. L. loquendi modis.* LACKEMACHERI Specimen *Atticismorum cum formulis Hebr. comparatorum.* (80) HACKSPANII IV. Diss. *de loquutionibus sacris*, & ABDIAE PRAETORII *de phra-*



(78) Fabricius Biblioth. Graeca T. II. p. 678.

(79) Fund. stili §. VII. de stilo Hist. Quibus adde quae de historico stilo habent *Schefferus* de stilo c. V. p. 15. & Cl. *Car. Henr. Langius* in inst. stili Romani P. II. c. V. p. 278 seqq.

(80) Observ. Philolog. P. VI.

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn824075404/phys_0055 DFG

*sibus Hebr.* libellus. (81) Duas saltem priores phrases superius notatas paucis tangemus. Comparatio illa: *Wie Sand am Ufer des Meers*, nonnunquam obiecto minus exacte respondet. Generatim denotat quicquam, cuius numerus vix aut difficulter iniri potest; sed quandoque in scriptura, omnes comparationis limites excedere videtur, applicata obiecto, quod numerum & multitudinem omnem respuit. Ita etiam illam ridere ausus est noster haruspex, in hac compositione: *Und Gott der Herr gab Hinrich dem König viel Weisheit, auch ein getrost Hertz wie Sand, der am Ufer des Meeres lieget.* Dotes enim, quae Salomoni a Deo concessae fuerunt, pari modo designantur, 1 Reg. IV, 29. & rude crudeque intellecta incommodum pariunt sensum. Consideratio autem textus originalis omnem e medio tollit difficultatem, vbi attendenda est emphasis ista: רֹחַב לֵב seu latitudo cordis integri contextus: רֹחַב לֵבָב כַּחוֹל אֲשֶׁר עַל שְׂפַת הַיָּם quod innuit aut cognitionem innumerabilium rerum, aut eam, quae instar arenae ad littus maris diffusa est. Quibuscum conferatur singularis in hanc phrasin commentatio DAN. LVNDII *de sapientia Salomonis* ad 1 Reg. IV, 29. Vpsaliae 1705. Maius nobis facesset negocium alterum de cane a parietem mingente, occurrens primum 1 Samuel. XXV, 34. praesertim si ita construitur, vt de Ierobeamo 1 Reg. XIV, 10. legimus. Noster stirpis regiae exstinctionem commemorans, ita: *Richard III. ließ ümbringen allen Saamen, der noch übrig geblieben war von allen Königen, also daß auch nicht einer übrig blieb, der an die Wand pisste.* Haec locutio nos primum tanquam plebeia offendit, cuiusmodi ex bene composita historia exulare debent, prouti iam ex antiquioribus LVCIANVS supra citatus iussit abstinere ἐξω πατὰ ὀνομασι, καὶ τοις ἀγοραιοις, καὶ καπηλικοις: (*) *vocabulis ab vsu plane remotis, dein vulgaribus et tabernariis.*

(81) Confer. de his *Wolffium* Biblioth. Hebr. Vol. IV. p. 315. & *Loescherum* L. c. p 425.

(*) T. II. opp. p. 413. ed. *Sambuci.*

*nariis.* Sed perquam emphatice haec omnia dicta esse volumus, quae etsi paradoxa, imo ex vulgo desumta esse videntur, nihilominus loco idoneo vsurpata, orationem sublimem vel intensam potius reddunt. Vindicem harum phrasium constituimus LONGINVM, quem saepius in hac meditatione consuluimus. Ita enim ille Sect. XXXI. de idiotismo seu verbis a vulgo tritis ex interpretatione IAC. TOLLII: *Proiectissimum quidem et tamen foecundum sublimitatis est illud Theopompi, quod quoniam ipsi rei admirabiliter conuenit, significantissimum mihi semper visum fuit, et indignum, quod a Coecilio carperetur:* Erat, *inquit*, Philippus ad aduersa rerum deuoranda a natura factus. *Fit igitur nonnunquam, vt ea, quae de medio sumta sunt, et protrita verba, exquisitis atque ad ornatum compositis multo significantiora sint, multoque illustriora. Illico enim per se ex ipso quotidiani sermonis vsu intelliguntur. Quicquid autem familiare et consuetum, iam hoc ipso euadit credibilius. Sunt enim haec istiusmodi, vt ad sermonem vulgi quam proxime accedere videantur, eumque velut adradere: Veruntamen significationis euidentia a plebeia vilitate longissime remota sint atque disiuncta.* Turpitudinem locutionis ostendere, & simul aliam notionem substituere voluit GVNDLINGIVS, qui sibi non persuadere potuit, Dauidem virum politissimum, in praesentia Abigaëlis, matronae honestissimae, obscoeno & rustico vsum fuisse vocabulo. Sed vt taceamus rationes, quibus haec a rusticitatis nota liberauit HEVMANNVS (82) ex eo hoc insuper colligere est, quod nulla in margine sit adiuncta Masorae nota, in aliis obscoenitatis suspectis locis frequens, veluti 2 Reg. XVIII, 27. Ies. XXXVI, 12. Quod simulac, non de hominibus, sed brutis intelligitur exspirat. Bruta autem indigitari ex circumstantiis liquet. Nam Dauides iure quodam in pecora sibi denegata saevire



(82) T. I. Poec. de phrasi biblica: mingere ad parietem Ep. I. & II.

vire poterat, & hinc procul dubio in propoſito habuit, domum ſpoliare, omnia animantia caedere, ita vt ne canem quidem cibo licet inutilem, ſuperſtitem relinqueret. Iam cum in quodam ſingulari caſu prouerbiorum ſtatuendum ſit initium, hac forte occaſione ſermo, quem ira Dauidi ſuggeſſit, in prouerbium abiit, poſtea retentum, licet non ſemper in omnes rei affectiones quadret. Quapropter illa dictio in applicatione ad exſtirpationem Ierobeami non ad amuſſim dictionis caſtigatae exigenda, ſed ad primam originem reducenda eſt. Et ſi tunc ἐμφατικῶς loco idoneo exhibetur, exinde ſingularis orationis vis & valor a Longino memorata, exſurgit. Quae Heumannus de muſcis parietem foedantibus ad h. l. commentatus eſt, nos adhuc in maiores difficultates coniiciunt, & ſi dicere licet, obſcoenitatem magis accumulant, quam a ſacro fonte abſtergunt. Plura hac de re praeter citatos autores in vnum collegerunt CHRIST. SAM. SCHERFF diſſ. ſiſt. *Dauidem contra Nabalem*, Lipſiae 1703. & ERN. FRID. COBIVS *de mingente ad parietem*, Witt. 1725.

## §. XVIII.

Circa vbertatem & formulas occupati tangemus paucis duas quaeſtiones: Num liceat interpreti loquutiones hiſtoricas ſuperfluas & ex noſtro genio abundantes reſcindere, & dein phraſes quam plurimas, quibus nihil ſalis ineſſe videtur, ſi in noſtrum idioma transfunduntur, immutare. Prius fecit Vulgatus interpres, omnibus merito ob hanc rem exoſus, qui ſuis quidem patronis non deſtituitur, & memorabile in primis eſt, quod MÜNSTERVS refert in praefatione bibliorum de AVGVSTINO STEVCHO, *quod inſimulet ſermonem Hebraicum, dicatque illum in hoc peccare, quod tam ſoepe vtatur tautologia, frequentiusque eadem inculcet abſque vlla neceſſitate, quodque propterea interpres vulgatus prudenter egerit, vt, quae ſemel inculcata fuerunt, illa non repetiuerit,*

*uerit, vt hebraismus facit.* Sed ab hoc instituto nos deterret fulmen in eos vibratum, qui oraculis sanctis aut demere, aut addere quicquam audent. Alterum itidem negamus, ringentibus licet criticis quibusdam, nominatim *C. le Cene*, qui eas formulas omnes abrogatas esse voluit. Secernimus idiotismos a formulis peculiaribus, illi possunt vtique ad genium nostrarum linguarum occidentalium conuerti, non hae. Viriliter prius praestitit Lutherus. *Sane qui hebraearum literarum peritus est, scribit* DANHAVERVS, (83) *et confert fontes cum versione Lutheri germanica, totus in stuporem vertitur, fieri potuisse, vt labium orientale tam nitide et dilucide in teutonicam linguam resonaret e calamo Lutheri.* In formulis autem, nisi iacturam omnis emphaseos metueris, retinenda est structura textus. Hae enim locutiones, vtut peregrinae vel absonae videantur resistunt tamen interpreti, & *hebraicitatem* connatam relinquere nolunt. Nec est, vt in gratiam quorundam lepores nescio quos sectantium, illas immutemus, nam grauissima obstat causa, quae non omnibus simul in mentem venit, & quam palmariam ducimus. Si enim libri historici ad genium nostrum vulgo traderentur, certe, deleta ista vetustatis nota, metuendum foret, maximam hominum partem fontium ignaram, pro libris humanis nouiter ad fraudem compositis, eos habituram, cum humanam quodammodo sapientiam immixtam haberent.

## §. XIX.

Progredimur ad VI. orationis historiae vitium, *nimis profusam scilicet vel rerum inutilium, vel intellectu per se facilium, narrationem*, complectens. Eam sectatus est Chronicographus noster: Cuius etiam speciem historiae sacrae prae se ferunt. Dicendi magistros et oratores si consulas, breuitatem semper in narrando cre-

(83) Theol. consc. p. 380.

crepant, & qui cothurnis incedunt, ſemper ad coelum & ſydera gradiuntur, & quae vulgaria & ante pedes ſunt, ne commemorant quidem. Audiamus Ciceronem qui hanc hiſtorici ſtili affectionem ita perorauit: *Breuis erit, ſi inde initium ſumatur, et non ab vltimo repetitur, et ſi cuius rei ſatis erit ſummam dixiſſe eius partes non dicentur. Nam ſoepe ſatis eſt, quod factum eſt dicere, non vt enarres quemadmodum ſit factum, et ſi non longius quam quod ſcitu opus eſt procedatur: et ſi ſemel vnumquidque dicetur: et ſi non ab eo in quo proxime deſitum eſt incipietur.* (84) In ſacris, ingenue fatemur, hiſtoriis aliter res procedit. Facta enim ex omnibus in circuitu partibus oſtenduntur, & res geſtae in omni adumbrantur plenitudine. Iterum in hoc capite ad intentionem ſcriptoris relabimur, cui non niſi omnimoda rei repraeſentatione ſatisfit: Simplicioribus quippe haec narrantur, non Attico, non Catoni, non Caeſari, qui ex vna voce ſtatim reliqua diuinare potuerunt. Illi autem diffuſa amant, & ſi ſemel illos quidquam effugerit, reiteratis conceptibus ſapiunt. Humilia ideo cum ſublimioribus ſapienter ex mente Dei coniunguntur, vt hoc ex illius intuitu aeſtimare diſcamus. Sed propius ad rem, minuſcula & relatu indigna quandoque apparent, quae ſua grauitate non deſtituuntur, dummodo ea recta facie, & non oblique aut cum microſcopio intueamur. Sit exempli loco 1 Reg. XXII, 10: *Der König aber Iſrael, und Joſaphat der König Juda, ſaſſen ein jeglicher* auff ſeinen Stuhl, angezogen mit Kleidern, *auff den Platz vor der Thüre.* Hic vix literula apparet, quae non praeter rem addita eſſe videtur. Veſtibus indui homines nihil mirum, nec mentione dignum, cum nudi in concionem prodire non ſoleant. Sed ſecundum Danzium (85) *in formanda conſtructione, adiectiui cum ſubſtantiuo alterutrum interdum deficit.* Sic ſubintelliguntur veſta

(84) Lib. I. de inuent. C. XX.
(85) Interpr. §. 222. ed. pl.

veſtimenta pretioſa & καθ' ἐξοχην regia, quemadmodum Ruth. III, 3. Noomi Rutham inſtruens dicit: *Quare laues et vnguas te, et imponas tibi veſtimentu tua*, ſcilicet pretioſa, cum aliis iam induta eſſet. Quod idem aſſenſu ſuo confirmat RASCHI ad h. l. ſcribens: *Et imponas veſtes tuas, eas nimirum, quas die Sabbathi ſoles induere.* Simplicem porro hoc comma complectitur verborum ambitum, quem alius quispiam grandi & magnifica ornaſſet oratione. Sic Virgilius eiusmodi reges deſcribens, apparatum, oeſtrum, purpurae & ſceptri ſplendorem turgide extollit, & ſi ad finem paginae perueneris, nihil prolatum leges, quod ſancti ſcriptores non ſimplici dictione aſſequuti fuerint. Leuitatis hoc, illud ſemper grauitatis indicium eſt. Si nobis neque moleſtum eſt, neque taedium affert, Homerum nonnunquam heroes ſuos per integras columnas paginarum armare, induere, quare ſacris vitio vertimus, ſi rem quandoque paulo vberius explicent? fluctus in ſimpulo forte quis mouere poſſet, expendens hanc Dauidis praeparationem: *Er nahm ſeinen Stab in ſeine Hand, und erwehlete fünf glatte Steine aus dem Bach, und that ſie in die Hirten-Taſche die er hatte, und nahm die Schleuder in ſeine Hand.* Longe certe prolixiores minorisue momenti narrationes obuiae ſunt in aliis auctoribus, coloribus cum vaniloquentia iis additis, quae hic in amoeniſſima quaſi nuditate & ſimplicitate connata ſiſtuntur. Quis taedio non afficitur, ſi hoc apud Homerum legat, (86) vbi vulnus Menelao a Pandaro inflictum deſcribit:

Εν δὲ ἑπεσεν ζωστηρι αρηροτι πικρος ὀϊστος.
Δια μεν ἀρ' ζωστηρος ἐλήλατο δαιδαλεοιο,
Και δια θωρηκος πολυδαιδαλου ἠρηρειστο,
Μιτρης θ' ἡν ἐφορει ἐρυμαχρους, ερκος ακοντων.



(86) Iliad. IV. v. 134.

*Cecidit autem in balteum aptatum peſtifera Sagitta.*
*Perque balteum adacta eſt affabre factum,*
*Et per Thoracem valde pulchrum transacta eſt*
*Et per laminam quam portabat tutamen corporis.* &c.

Hanc vagam circumſcriptionem nobis cantu praemodulari quodam, nihil ad rem facit. Maiori grauitate ſcriptura hoc ita breuibus expreſſum inſinuat, 1 Reg. XXII, 34: *Ein Mann aber ſpannte den Bogen ohng fähr, und ſchoß den König Iſrael zwiſchen den Panzer und Hengel. Und er ſprach zu ſeinem Fuhrmann: Wende deine Hand und führe mich aus dem Heer, denn ich bin wund.* Nonnunquam verſiones in mendo cubant, quae nonnulla maiori fide quam opus eſt transferunt. E. gr. de Dauide: *Und er ſtund auf ſeinen füſſen und ſprach.* 1 Par. XXIX, 2. Minus decore ſi ita, ſed omne exſpirat ſi vertitur, erecto corpore loquutus eſt.

## §. XX.

Poſtquam maculas a fonte deterſimus, ſupereſt, vt verſiones exploremus, ſpeciatim vernaculam, cum tela ignita Satanae Chronicorum eo ferme collineent, vt abſonum eius dicendi genus praeſertim hiſtoricum, omnium riſui exponant. Satisfaciemus iſti operae articulis I. & VII. *de mala per particulas coniunctiuas textus cohaerentia, et inuerſione conſtructionis.* Sunt quidem querelae omnium Philologorum, limpidam fontium elegantium, non ex faeculentis riuulis ſeu verſionibus aeſtimandam eſſe. Nam ne γευ quidem verae excellentiae textus addere, ſed infinitis modis detrahere poſſunt. (87) Malitioſi igitur animi

(87) Conſule Intr. Saurini expoſ. hiſtoriarum S. S. praemiſſam §. XII. & *Boyle* L. c. p. 37. 38.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0062
DFG

animi est, si quis sub impugnatione versionis cuiusdam seu corticis, nucleo amaritudinem & cariem conciliare studet, quod certe famosus noster circa versionem Lutheri instituit. Manibus pedibusque, vt aiunt, in eorum imus sententiam, qui illam pro libro quodam classico linguae Germanicae reputare volunt. Deoque sit laus, quod non ex paludibus aquam vitae hauriamus, ceu de quodam Cardinale fertur, eum de vulgata dixisse: *Hebraeos ex fonte, Graecos ex riuulis, Latinos ex paludibus bibere.* (88) Qui praeter ipsam inspectionem alia huius veritatis momenta desiderat, adeat SCHOTTELIVM, qui in opere *de lingua Germanica* de his magnifice sentit. (89) Neque ita cum nostra versione comparatum, prouti Pontificius quidam fassus est: *se semel Vulgatam perlegisse, sed vereri, si iterum susciperet, de omni sua latinitate actum fore.* Nihilominus ab ea parte illam aggressus est conuiciator iste, qua vtique, intuitu Germanismi aliquid in se desiderari patitur. Postquam enim tetra *Chronica* diu voluimus atque reuoluimus, non datum nobis fuit statim inuenire causam, quae stilum vernaculae nostrae versionis tam peruersa facie sistit, imo in legendo & taedium & nauseam creat. Tandem animaduersiones nostras in duo ista indicata vitiorum genera resoluimus. Copula nimirum *Und* post quoduis fere punctum imo comma & inter comma repetitum legimus, vt vel centies vna pagina recurrat. Porro vbi istam cacophoniam euitare voluit Lutherus aduersatiuam *Aber* non soepius solum sed & in membris minime oppositis adhibuit. Deinceps constructio verbi cum substantiuo suo soepius ita traiecta est, vt Germanica indoles minime fert, de quibus in vniuersum infra lucu-

 len-

(88) ib. p. 185.

(89) adde *Mayerum* de versione Bibl. Lutheri Cap. VIII. de iis quorum reprehensionem Lutheri versio incurrit p. 87.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0063
DFG

lentiſſima dabimus exempla; ſtilum interim male cohaerentem, peius partibus ſuis reſpondentem efficiunt. Facili negocio quidem Lutherus iſtos ſcopulos euitare potuiſſet, ſed temporum conditio obfuit, quominus minutiis iſtis immoraretur. Interim ſi elegantiam vernaculae dictionis ſpectes, inſigniter eam iſte neglectus deformat; Imo quondam Atheus inter dubia, quae ſcripturae maieſtati obmouit & hoc retulit: *Inter exigui textus limites hanc copulam perſoepe recurrere*, & per integra capita e. gr. Apocal. V. & XII. omnibus verſibus praeponi citante HOLLAZIO. (90) *Zeltnerus* in bibliis ſuis illuſtratis hoc perſpiciens, copulam iſtam ad aptiorem textus cohaerentiam, pro re ſubſtrata & indole linguae, non ſine inſigni legentium fructu & voluptate quandoque immutauit. Tantum abeſt vt iſthoc modo vis & iniuria textui inferatur, vt potius eius elegantiam magis magisque promoueat. Solum DANZIVM nominaſſe ſufficit, qui omnium particularum familias hoc ſolo ו complecti, ſolidis innixus rationibus, ad liquidum demonſtrauit. (91) Oſtenſum quoque eſt ab aliis (*) eam copulam quandoque otioſam eſſe, imo ſuperabundare, & propter euphoniam tantummodo in principio librorum vel periodorum praefigi, cum etiam abſonum ſit, veram copulae vim ibi admittere, vbi nihil praecedit, quocum poſſit coniungi. Inſpiciat, cui volupe eſt, NOLDIVM in opere *de particulis Hebraeorum* conſummatiſſimo, praeſertim notas (92) in calce ſubiunctas. Ex interpretibus, nemo hoc maiori diligentia excuſſit, quam CLERICVS, qui poſt varias de hoc neglectu

(90) Exam. Theol. de ſcriptura S. Qu. XXIX. Obj. 3. p. 123.

(91) Interpr. § 193.

(*) Multus praeſertim in eo eſt *Huetius* contra *Spinoſam* diſputans, qui libros biblicos copulatiuo ו incipientes particulas maiorum librorum eſſe affirmaſſet *Demonſtrat. Euangel.* p. 401. 435.

(92) p. 969--980.

glectu aliorum querelas, sententiam suam hunc in modum exposuit: (93) *Nos etiam passim impediuit perpetua illa narrandi ratio, per praeterita aut futura, coniunctione vav coniuncta. In ea quidem satis apparet, nullam esse emphasin, et posse commodissime participiis Latinorum exprimi, aut particulis aliis, quibus orationis partes iungunt. E. gr. Cap. XXXII. Genes. ita est connexum 1. ET Iacob iuit — ET occurrunt 2. ET dixit Iacob — ET vocauit nomen loci 3. ET misit Iacob — 4. ET praecepit eis — 6. ET reuersi sunt nuncii — 7. ET timuit — ET in angustiis fuit — ET diuisit 8. ET dixit* &c. *quod latine ferri non posset. Plurimae sunt versiones, potissimum hodiernarum linguarum, quae eam coniunctionem ita seruant, quasi vim singularem orationi adderet; quale nihil vnquam hebraice scientes somniarunt.* Addit deinceps, Gallos eiusmodi plane ferre non posse: & nos addimus, Germanis quoque nihil ingratius auditu esse. Patet illud ex *Chronicis* insulse ad hunc stilum effictis, quae eam ipsam cacophoniam ostendunt, quam nos, assuefacti a teneris nostrae versioni, in ea non animaduertimus. Sicut plurima pars hominum constructionem initii orationis Dominicae soloecam esse ne cogitat quidem. Quare ne diffusiores quam par est videamur, breuem tantummodo pericopam ex libris stricte dictis historicis, seligemus, vt ex schemate parallelo appareat, quam concinne omnia, leui facta inuersione cohaereant. Sit exempli loco 1 Reg. IX, 12. 13. 14.

| | |
|---|---|
| v. 12. *Und* Hiram zog aus von Tyro die Städte zu besehen, die ihm Salomo gegeben hatte: *und* sie gefielen ihm nicht. | 12. *Wie* aber Hiram von Tyro auszog, die Städte zu besehen, die ihm Salomo gegeben hatte; *da* gefielen sie ihm nicht. |
| 13. *Und* sprach: was sind das für | 13. *Derohalben* sprach er: was sind |

(93) Diss. de interpr. S. §. VI.

für Städte, mein Bruder, die du mir gegeben haſt: und hieſs ſie das Land Cabul bis auf dieſen Tag.

14. *Und* Hiram hatte dem Könige geſandt hundert und zwantzig Centner Goldes.

ſind das für Städte, mein Bruder, die du mir gegeben haſt. Und hieſs ſie das Land Cabul bis auf dieſen Tag. (94)

14. *Denn* Hiram hatte dem Könige hundert und zwantzig Centner Goldes geſandt.

In omnibus libris ſcripturae, vbi filum hiſtoricum facile decurrit, idem valet. Quousque hoc autem in dogmaticis, propheticis & locis vexatis admittendum ſit, disquirere huius loci non eſt, vbi ſolam hiſtoriarum rationem habemus.

## §. XXI.

Porro non minus incommodum ſenſum parit, auresque ingrato ferit ſono aduerſatiua *Aber*, in locis ſibi non aduerſantibus adhibita, & vbiuis fere obuia, e. gr. *und Mephiboſeth hatte einen kleinen Sohn, der hies Micha: ABER alles was im Hauſe Ziba wohnete, das dienete ihm. Mephiboſeth ABER wohnete zu Jeruſalem, denn er as täglich auf des Königs Tiſch.* 2 Sam. IX, 12. 13. & ita frequenter admodum. Qui conſtructionem inuerſam huc referre dubitat, inſpiciat nexum *Chronicorum* integrum, qui in ſingulis iſthoc modo efformatus apparet. Ex quibus, ne obſcuri videamur illuſtrationis gratia quaedam producemus, nullo habito delectu, prout in manus incidunt. E. gr. (95) *Und ihre Spieſſe warffen ſie weg, und ſuchten zu retten ihr Leben.* Et alio porro qui forte oculos ſubit loco: (96) *Und es begab ſich daß Tencin*

(94) Siue elegantius: *Und hies ſie das Land Cabul zum ewigen Gedächtniſs.*
(95) Sect. III. p. 25.
(96) ib. c. XXV. p. 74.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0066
DFG

*ein des Nachts lag auff ſeinem Lager, und gedachte wie Thereſia die Königin könnte gebracht werden um ihr Erbtheil* &c Vbi verbum ſemper praemittitur ſuo ſubſtantiuo, quamuis in ordine ſequi debeat.(97) Qualis per omnes libri paginas occurrit συνταξις, non aliter quam Lutherus e. gr. 2 Sam. XIV, 2: *Und ließ holen von dannen ein kluges Weib.* Similem in modum v. 20. 22. c. XI, 18. 19: *Da ſandte Joab hin, und ließ Dauid anſagen allen Handel des Streits.* Et ita in innumeris aliis locis, quia ſemper Hebraismum preſſo pede ſequutus eſt. Hae breuiuſculae & generales obſeruationes, etſi maximam vitiorum & inconcinnitatis partem abs Hebraico ſtilo aboleant, & in verſiones optimo iure transferant, tamen non omnia exhauriunt. Non diſſertatio ſed integer tractatus ſcribendus foret, ſi omnia ea in vnum colligere vellemus locum, vbi non Lutherus, ſed omnes interpretes, in hiſtoricis libris praeſertim, nitori fontium externo aliquid detraxerunt. Speciminis loco ſingulare hoc de verſione Lutheri addimus, quod quibusuis fere agendi modis ſemper *thun* noſtrum non ſine quadam cacophonia applicatum legamus. Non tantummodo radix עשה multifarii ſignificatus, hanc experta eſt fortunam, ſed & קרב, שום, כלה, שוב, סור, שלח, id quod deformat ſtilum, reclamante licet textu, eumque apud imperitos vulgaritatis plebeiae ſuſpectum reddit. E. gr. *Dauid thät ſeine Hand in die Taſche*, 1 Sam. XVII, 49: *Du wirſt Rettung thun*, c. XXX, 8: *Daß man die Lade dahin thät*, 1 Reg. VI, 19: *Seine Knechte thäten ihn vom Wagen*, 2 Paral. XXXV, 24: *Er thät ſein*

(97) Ordinem linguae Germanicae adſcribimus determinatum & concinnum, de quo nimis audacter ſcripſit auctor itineris ſubterranei: *Lingua qua vtuntur Germani haud facile intelligitur ob peruerſum ſtyli ordinem, nam quod prius in aliis linguis ſolet eſſe, hic ponitur poſterius, adeo vt nihil intelligas, antequam ad finem paginae perveneris* p. 292.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0067
DFG

*ſein Haupt zwiſchen ſeine Knie.* Qui conſtruendi modus idiomati Misnico tunc temporis florenti forte conſentaneus fuit, ſed hodie, ſi plebem excipias, prorſus in deſuetudinem abiit & venuſtatem orationis euertit. Plura eiusmodi niſi paginae obſtaret anguſtia in promtu haberemus, quae in vniuerſum quidem minoris momenti eſſe videbuntur, quam quod exinde egregia noſtrae verſionis textura reprehendi mereatur. Sed vt hunc pruritum & audaciam a nobis dimoueamus, pauca ſufficiunt. Leuia ſunt fatemur, nam eo ipſo hoc tentamen omni culpa vacat, cum ob iſtiusmodi minuſcula labem verſioni noſtrae aſpergere, ne per ſomnum vnquam cogitauerimus. Noſtrum fuit in hac tractatione cauſas cacophoniae ſtili hiſtorici inter alia rimari, & cum ea quandoque in verſione noſtra conſpicua ſit, in biuio conſtituti, culpam ad eam potius quam fontem referre nulli dubitauimus.

## §. XXII.

Hyperbolen ſeu octavum & vltimum momentum iam ſupra attigimus, circa ſimilitudinem ab arena maris deſumtam occupati. Haec fere unica hyperbole verbalis eſt in hiſtoricis occurrens, cuiusmodi etiam, ceu licitum quoddam orationis ornamentum, ſcriptoribus ſacris vitio vertere nolumus, ſaluis iis quae V. E. *Loeſcherus* & poſt eum *Dan. Gerdeſius* in contrarium adduxerunt. *Mentitur, ſecundum Quinctilianum, hyperbole, nec ita vt mendacio fallere velit.* Ab hac autem verbali hyperbole diſtinguere cogimur realem, quae ſub veri ſpecie rem praeſertim nimium quantum in numeris exaggerat. Hanc omnis veri amans deteſtatur, & apud ſacros hiſtoricos non occurrere tamdiu aſſerimus, donec quis contrarium oſtenderit. Nihilominus

minus talia sibi in codice sacro inueniſſe viſus eſt *Chronifex* noſter; Numerum occiſorum, aliarumque rerum perſaepe ſupra fidem extollit, idque in rebus etiam noſtra memoria geſtis, quae indirecte ad fidem hiſtoriographorum ſanctorum ſubuertendam faciunt. Sic Henrico V. Rege Angliae duce, ſexaginta millia Gallorum vno praelio cecidiſſe, contra omnem hiſtoriarum fidem aſſerit. Item Hiſpanorum tredecim millia nouiſſimo belli tumultu, vno Auſtriacorum impetu interfectos eſſe nugatur, (98) & eiusmodi plura quae omnem prorſus fidem excedunt. Interim tamen verbum veritatis aeque fabuloſum confectum eſſe inſimulat. Loca quae in hiſtoriis ſacris incredibilia cenſentur, intuitu diuerſitatis temporum & rerum bellicarum, ſatis ab aliis a contemtu vindicata ſunt, ad quos cum res potius quam ſtilum ſpectet, lectorem remittimus. (99) His iungimus, quae iam ad §. V. monere conſtitueramus, de nomine Dei in vanum aſſumpto. Si inſpicere lubet Chronica, vtramque paginam facit commemoratio nominis diuini, velut in V. T. hiſtoriis omnes actiones Deo attribuuntur. Haec noſter non ſine inſigni ſcandalo per κακοζηλιαν imitari conſtituit, & numen ſupremum ſemper vel loquens vel iubens introducit. Sane nihil aliud iſthoc conatu agere voluit, quam codicem S. his praeſtigiis fabulis commaculare & aequiparare, quaſi ad morem Homeri hiſtorici priſci orbis, ſcriptura loqueretur, qui Deos fictitios ſemper in ſcenam prodire iubet. Religio obſtat, ne in hoc caput altius penetremus. Satis eſt hoc inſtitutum exſecrari, & ad θεοκρατιαν populi Iſraelitici reſpicere, & cum pietatem, zelumque pro Dei conſeruatoris & gubernatoris omnium re-



(98) Sect. III. c. XVII. p. 93.

(99) Conſule Buddeum Hiſt. Eccleſ. V. T. p. 8. ſq.

rum gloria teſtetur, iuuat hoc exponere verbis ſupra laudati WERENFELSII: *Quae praecipue, pergit in diſſertatione citata, p. 221. in hiſtoriis vulgo celebrantur, bella ſunt. Dici non poteſt, quae ſit profanorum hiſtoricorm in iis deſcribendis περιεργια. Vides ibi, quid Dux, quid tribuni, quid centuriones, quid legiones, quid turmae, quid milites egerunt: quid conſilium, quid virtus, quid exhortatio, quid dolus ad rem bene gerendam contulerit. Nihil reticetur eorum, quae ad homines pertinent. De illo plerumque ſiletur, qui contulit plurimum. Quantum ab his diſtat hiſtoria bellorum Domini? Deus ſolus hic vrbes occupat, moenia diſiicit, eademque, ſicubi vult, defendit, conſilium dat, ſtratagema inuenit, aciem inſtruit, praelium committit, virtutem ſuis, terrorem hoſtibus inſpirat, victoriam denique reportat, regiones capit, populosque ſub iugum mittit.*

Ipſi Domino quoque exercituum, qui forti manu demolitur, omnem altitudinem, quae aduerſatur veritati, qui iratam faciem contemptoribus opponit,

אשר תמר תצרק ברברך
תוכח בשפטך

Laus & Gloria in ſempiternum!



Verstumme nur hinfort verruchtes Spötter-Heer,
Dein Lachen wird dich selbst als lächerlich darstellen,
Hier wirst du überzeugt: man fürchte dich nicht mehr,
Nur Thoren können sich zu deiner Zunft gesellen,
Wer der Vernunft gehorcht sey nie der Bibel feind,
Ein Weiser kennet schon den Wehrt der heil'gen Schrifften;
Und dis behauptest Du, gelahrt- und wehrter Freund!
Wie wirst Du dir dadurch ein herrlich Denckmal stiften!

Dieses wollte zur Bezeigung seiner Hochachtung gegen den Herrn Respondenten hinsetzen

C. F. Lange,
S. S. C. Oppon.

Dein Eyffer glüht, geliebtster Freund!
So Wahn als Schmähsucht zu besiegen;
Du siehst den überwundnen Feind,
Den Feind der Schrift, zu Boden liegen.
Der Arbeit folgt der Lohn, dem Siege Crantz und Ruhm,
Und beydes wünsch ich Dir zu Deinem Eigenthum.

Hiemit suchte sich dem geneigten Andencken des Herrn Respondenten zu empfehlen

J. F. Kühnel,
aus Kiel.
der G. G. Befl.

Wie

Wie sehr ich, Edler Freund! mit innerstem Verlangen
Nach solchem Tag gesehnt, an dem dein steter Fleiß
Und deine Tugenden den öffentlichen Preiß,
Den Dir die Wahrheit giebt, mit echtem Ruhm empfangen;

Wie sehr mich dies erfreut, daß, da der Wahrheit wegen,
Du heut den holden Mund im Hörsaal öffnen wilst,
Auch meinen Einwurf bald durch deine Gründe stillst;
Soll diß mein schlechtes Blat hiedurch zu Tage legen.

Ich hab es längst gedacht, daß eine solche Ehre,
Die nur der Tugend folgt, und die ein solcher Geist
Wie Du, hochwehrter Freund! mit wahrem Lobe preist,
Dir die Begleiterin auf deinem Pfade wäre.

Drum trittt nun Hofnungs-voll auf der Catheder Stuffen,
Du trägst den Preiß davon. Sey ferner auch bemüht
Die Musen zu verehr'n, so wie mans itzo sieht,
So wird Dich Glück und Recht zu grössern Dingen ruffen.

Hiemit wollte sich dem Herrn Respondenten
besonders empfehlen sein Opponent
und Freund
Friedrich Christian Grot,
der Gottes Gelahrtheit Befl.




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0076
DFG

ſummo, vt aiunt, digito hoc tet enter HEVMANNVS
de hyperbolis agens hanc obſeru pergit: (57) *An enim*
*Spiritui S. curae cordique fuit, vt recitaret verba eorum*
*ipſiſſima? Annon ex Euangeliſtaru ſe collatis didicimus,*
*non eſſe eos verborum curioſos, ſed fideliter? Dignum eſſe*
*duco ſacro-hiſtorico, ſenſum alioru vere exprimere verbis*
*vſitatis quibuscunque: viciſſim ind itror, ſuperſtitioſule re-*
*citare ipſiſſima hominum etiam in erba ſingula.* Quam
ſententiam licet parum tritam tram facimus. Pari
modo orationes integrae in cen t, quarum eſſentialis
tenor in ſacris exhibetur, & qu ratio ſolum in ordi-
nem orationis redactae ſunt. non fugit, criticos
nonnullos improbare morem bus ſcriptoribus rece-
ptum. (58) *Si verum dicere lic* acter IO. CLERICVS
ſuam his interponit ſententiam *ationum, iudicio eorum*
*qui eas in hiſtoria probant, praeſ iam nulla ratio eſt, qua*
*poſſit homini veri amanti perſuad licere hiſtoricis emen-*
*tiri. Neque enim multo minus m inducere hominem di-*
*centem quod non dixit, quia dice m deſcribere facientem,*
*non quod fecit, ſed quod poterat* eſt ut huic obiectioni
immoremur, quae ſatis ab aliis , nominatim a GERH.
IO. VOSSIO, (*) & fere omnibu iſtis ſcriptoribus qui
ſub rubro *penus artis hiſtoricae,* ti ſunt. (59) Ex qui-
bus, ſi auctoritate pugnare v ulta egregie dicta de-
promere poſſemus. Clerico o um IOAN. IOV. PON-
TANI ſufficiat, qui in *dialogo nſignanda* p. 576. cita-
tae collectionis T. I. hoc ita co dentur eiusmodi alloquu-
*tiones, quae nunc ad multos nunc* habentur, *decorare hiſto-*
*riam*

(57) T. III. Pociles L. III. de hyp rae p. 353.
(58) Art. Crit. P. III. c. VIII. §. 3. *hiſtorica* c. XX. & XXI.
(59) Baſil. II. Tom. in 8. a. 1579.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824075404/phys_0077
DFG